









1675.

20. Schroeterus, Ernestus Fredericus : De eo, quod justum
est in puncto malitiosae desertionis.

21. Schroeterus, Ernestus Fredericus : Privilegia pauperum.

22^o Schroeter, Ernestus Fredericus : De extraordinario re-
medo restitutionis in integrum. 2 Saupl. 1675: 1747

23. Schroeter, Ernestus Fredericus : De alienatione sa-
muntus contra Salmasium.

24. Simon, Joh. Georg : Hugonis Gratii de jure belli
ac pacis lib. III caput II; quo modo jure gentium
vna subditorum pro debito imperantium obligentur,
ubi de reprehensio perpetua paraphrasi illustratum.

25^o Simon, Joh. Georg : De justitia hominis circa
ina membra. 3 Saupl.

26. Simon, Joh. Georg : Hugonis Gratii de jure belli
ac pacis lib. III cap. XXII de fide minorum
potestatum in bello perpetua paraphrasi
illustratum.

1675

27. Simon, Joh. Georgius: Curiosa Turbanoana.

28⁹²⁶ Simon, Joh. Georg: De ablatione rei alienae
in casu necessitatis 2 Bimpl.

29⁹¹ Simon, Joh. Georg: De feriis 3 Bimpl - 1675
- 1679.



10

27.

28⁹ =

29⁹

(A)

Erst num. 9. 1

Q. D. B. V.

DISPUTATIO JURIDICA
INAUGURALIS

1675, 20

DE

EO QVOD JUSTUM
EST IN PUNCTO MALI-
TIOSÆ DESERTIONIS

Quam

Auspice S. S. Triade

&

Illustris atque Magnifici Jctorum Ordinis
auctoritate ac decreto

PRÆSIDE

*Viro Magnifico, Prenobilissimo, Consultissimo atque
Excellentissimo*

DN. ERNESTO FRIDERICO

SCHRÖTERO Hæreditario in Wickerstädt

Jcto & Antecessore Famigeratissimo, Consiliario

Saxonico Eminentissimo, Curia Provin-

cialis nec non Scabinatus Assessor

Gravissimo

Patrono atque Promotore suo summè devenerando

PRO LICENTIA

Summos in utroque jure honores & Privilegia Doctoralia
more majorum ritè consequendi

Publico eruditorum examini placideq; disquisitioni subicit

JOHANNES Blume/ Stadenf.

Addiem Septembris, Anno M. DC. LXXV.

In Acroaterio Jctorum horis ante- & Pomeridianis.



Literis MULLERIANIS.

W. H. S.



Handwritten scribbles and a small emblem at the top left.



DISPUTATIO JURIDICA
IN ANNO 1783

FOVODIUSTUM

DEO

ET

PATRIÆ.

Handwritten vertical text on the right margin.

DN ERNESTO FRIDERICO
SCHROEDER

JOHANNES SCHROEDER
PROVINCIALE



JOHANNES SCHROEDER
PROVINCIALE

Handwritten text at the bottom center.





In JESU Amen.

PRÆFAMEN:



Mnibus gentibus divortia consueta fuisse, etiamnum esse, liquet. De Judæis videatur *Joh. Selden. Ux. Ebraic. l. 3. c. 18. & seqq.* Duplex tamen uxorum genus, ubi de divortiis sermo est, excipiendum esse, idque ex lege sacrâ testatur, *cap. prædict. 18.* Alterum earum, quæ præreptæ virginitatis falsò, idque in judicio capitali accusabantur; alterum earum, quæ vi comprimentibus nuptæ erant. De Atheniensibus videri potest *Cornel. Nepos in vit. Cimon.* De Romanis *Gell. lib. 4. c. 3. noct. Attic. Valer. Maxim. lib. 2. c. 1.* de quibus singulariter notandum, quod quingentis amplius annis, sexcentis aliqui volunt, Respubl. Romana sine divortii usu (quod tamen legibus toto illo tempore permissum) usque ad notissimum illud Spurii Carbili Rugæ, qui primus conjugem suam, eo quod sterilis esset, dimisit, existiterit. *test. Dionys. Halicarnass. l. 2. Gell. noct. Att. 3. c. 3. 17. & 21. Valer. Maxim. l. 2. c. 1. Plutarch. in Probl. Roman. c. 13. De Turcis Busbeq. Ep. 3. p. 137. De Russis Olear. in descript. Persic. p. 144. Joh. Selden. cit. ux. Ebraic. l. 3. c. 26.* Aliarum gentium recensione brevitatis ergò supersedeo. Ast cum olim matrimonii contracti vinculum dissolvere ex quavis etiam levi causâ integrum fuerit, imprimis quia jus idem esse volebat matrimonii, quod est societatis cujuscunque antiquitas, *Selden. ux. Ebraic. l. 3. c. 22.* Hinc justâ ex ratione libertatem hanc divertendi Justinianus Imperator restrinxit, certasque in *Novell. 117. c. 8. & 9.* causas expressit, ob quas tantum à semel inito matrimonio

A 2

refi.

resilire liceat. Enumerantur autem, & quidem à parte uxoris, quinque, ita ut 1. maritum repudiare possit ob læsã Majestatis, etiam solã scientiã commissum crimen. 2. Ob insidias vitæ uxoris, vel ab ipso marito structas, vel ab aliis ipso cõscio & reticente, vel dissimulante, neq; vindicante. 3. ob attentatum à marito lenocinium, quando sc. maritus pudicitia uxoris suæ insidiatus eam aliis profiteri, atque adulterandam tradere tentavit. 4. ob adulterii calumniosam accusationem. Denique 5. maritus ab uxore repudiari potest, si in uxoris contemptum, vel domi suæ, vel alterius, cum aliis mulieribus confestat, luxuriosè frequenterq; cum illis conversetur, & ab iis post iteratam admonitionem à parentibus vel suis, vel uxoris suæ factam, abstinere recuset. Maritus verò uxori justè repudium mittit. 1. itidem ob perpetratum læsæ Majestatis crimen. 2. propter adulterium. 3. propter vitæ insidias, aut scientiam ac reticentiam earum viro suo ab aliis paratarum. 4. ob convivã & balnea cum extraneis viris nolente marito celebrata. 5. repudio locus est, si refragante marito citra probabilem causam extra ejus ædes pernoctaverit. Quod si vero mulier apud suos parentes existat, omnis sinistra suscipio cessat, cum non sint permissuri parentes, aliquod probrum à filia, sua in suis ædibus perpetrari, hæc igitur absentia justa repudii causa existere haut potuit, uti nec illa, quando maritus eam domo suã expulit, quia cum maritus hujus rei auctor existat, sibi, non uxori imputare debet, quæ coacta potius, quã volens abnoctat. 7. & ultimo, si spectacula ludorũ circensium, vel theatrorum vel amphitheatrorum ignorante aut prohibente viro ab uxore frequententur. Et has ob causas olim licuit divertere, vid. *Rittershus, ad Nov. part. 4. c. 8. n. 9.* Hodie admittitur separatio quoad vinculum 1. ob adulterium. 2. ob malitiosam desertionem. 3. Propter errorem tum in personã ipsã, tum castitatis in foeminã, *Cypræus c. 13. §. 57. de sponsal.* 4. propter inhabilitatem non supervenientem, sed præexistentem, & na-

& naturalem ab alterâ parte nuptiarum tempore ignoratam. Ast cum missis cœteris matrimonium solvendi modis impræsentiarum nobis tantùm de desertione malitiosâ sermo fit, inde etiã in nomine SS. & individuz Trinitatis ad ejus tractationem nos accingimus.

THESES. I.

Quod igitur desertionis vocem attinet, eam ex præpositione *de*, quæ h. l. privationem denotat, quem admodum etiã in *c. Episcopus 1. dist. 35.* sumitur, & verbo *serere*, quod idem, ac in ordinem redigere significat, compositam esse, neminem latere puto. Hinc vocabulo desertionis denotatur ejusmodi actus, quo res, quæ ordinatè repositæ sunt, disjunguntur. In jure nostro civili pro substratâ materiâ variè sumitur, & modo denotat idem, quod derelinquere, sic desertores in re militari dicuntur, qui stationem suam deserunt, & per prolixum tempus vagantur diuq; absunt *l. desertorem 3. §. desertor 3. l. 4. §. 15. l. 5. ff. de re militari.* Deserere actionem vel accusationem vocantur illi, qui in totum ab accusatione desistunt *l. 21. ff. de inoff. test. l. 10. ff. de judic.* Canonibus desertores dicuntur illi, qui Ecclesiæ ministeriis propriè destituti ad alia fugæ vitio se conferunt *c. placuit 2. caus. 21. quest. 2.* Modo, pro non observare vel negligere, inde quis appellationem deseruisse dicitur, quando fatalia non observavit. vid. *Scacc. de appellat. c. 11. n. 150. Carpzov. p. 1. Jurispr. forens. const. 20. definit. 30. Brunnem. in process. civ. c. 28. n. 98. & seqq.* H. L. vox desertionis localem & actualem discessionem significat.

II. Cum verò discessio multiplex sit, alia enim est ordinaria, alia extraordinaria, illa dicitur, quâ quis abest à loco, ita, ut alibi domicilium habeat; hæc, quâ quis loco, in quo domicilium habet, ac ordinariè morari consuevit, abest. Hæc iterum vel necessaria est, vel voluntaria. Necessaria rursus vel laudibilis, vel vituperabilis, vel casualis. Voluntaria itidem alia laudibilis, alia malitiosa. vid. *Magnif. Dn. Struve in syntagm. Jur. Civil. Exerc. 8. eb. 71.*

A 3

& seqq.

Et seq. Hujus verò malitiôsæ species habetur desertio malitiôsa, quæ est absentia, quâ quis animo dolo-
so non justâ & honestâ causa inductus à conju-
ge discessit, nec privatis admonitionibus, vel
publicis citationibus se revocari patitur, sed
hinc inde vagatur, aut in alias regiones ac loca
diffusa proficiscitur, ut nulla spes reditus ac re-
conciliationis amplius supersit. Vid *B. Dn. Ger-*
hard, in loc. de conjug. n. 626.

III. *Absentia.* Licet verò is propriè & primariò di-
catur deserere, qui actualem suam præsentiam uxori de-
negat, ille tamen minimè absurdus videtur, qui deser-
tricem & eam appellaverit, quæ adeò pertinax est in de-
negando debito conjugali, ut posthabitis tum privatis a-
micorum, tum publicis Magistratum admonitionibus,
carcere aut aliis pœnis haud se emendari patiatur. *B. Dn.*
Lath, tom. 3. Jenens. Germ. lib. de vit. conjugat. Hunn. Com-
ment. in Matth. c. 19. Biedenbach, de caus. matrim. fol. 99.
Brochm. c. 4. quest. 60. Eo ipso enim dum finem tam prin-
cipalem, quàm per consequens etiam minus princi-
palem nullatenus vult impletum, non solum impiè re-
cedit à fide semel datâ, verùm etiam innocenti parti jus
dat ea omnia rescindendi, quæ intuitu finis gesta erant.
Nec obst. quod propter carnis factam unitatem, conjux
conjugi adhærere debeat per text. *Gen. 2. v. 24. Matth. 19.*
v. 5. Eph. 5. v. 31. 1. ad Corinth. 7. v. 16. J. 1. Inst. de part. potest.
l. 1. ff. de rit. nupt. l. si cum dotem 22. § si maritus 7. ff. solut. ma-
trim. Loca enim adducta limitationem patiuntur, ita sc.
ut nisi à parte alterutrâ stet, quo minus hoc præceptum
impleri queat, nunquam individua vitæ consuetudo dis-
rumpatur, quod si autem pars altera pertinaciter dene-
gare pergat, meritò ad petitionem partis innocentis de-
sertionis processus formari poterit, quod nisi concede-
retur, pars innocens sine culpâ suâ privaretur jure suo,
quod fieri injustum est, *c. discretionem 6. J. sed nec affinitas*
X. de

X. de eo qui consang. uxor. sua vel spon. cognov. & nequaquam la-
quei conscientia innocentis personae injiciendi sunt pro-
pter aliena delicta, cum delicta suos debeant tenere auctores
per l. sancimus. 22. C. de poen. Accedit, quod cum corpus uxoris
ad virum pertineat, in ordine ad usum matrimonii, &
vice versa viri corpus ad uxorem i. Corinth. 7. v. 2. & seqq.
redditio debiti conjugalitatis non tantum sub precepto sit
si expressè, verum etiam si tacite petatur, hinc quando
mulier expressis verbis pro pudore debitum exigere non
audet, signis suam mentem explicare potest, nihil enim
refert verbis, an factis voluntas exprimatur l. de quibus 3.
ff. de legib. & ejusmodi tacita petitio virum ad conjugalitatis
debiti praestationem obligandi sufficiens erit. Imò si
vir explorata uxoris suae naturam, ingenio & moribus, in-
continentiae periculum in aliquo casu praevideat, ei sub-
venire tenetur exigendo ab illa debitum, matrimonium
namque etiam in remedium concupiscentiae institutum
est post lapsum, ergo ubi uxor hoc remedio indiget, li-
cet non petat, vir tenetur offerre, non secus ac medicus
aegroto, cui medetur, adhibere obstrictus est medicinam,
quam ei salubrem fore sperat, quamvis aeger non petat.
Ponce de matrim. l. 10. c. 2. n. 3. Accedit, quod cum proxi-
mus proximo opem ferre obligatus sit, si commodè pot-
est: multo magis conjuges, qui cum tam arcto amoris
& amicitiae vinculo obstricti sunt, sibi mutuo subvenire
tenentur, dum patiuntur periculum animae cum com-
modè possint offerendo debitum. Sanchez. de sanct. matrim.
sacram. l. 9. Disput. 2. n. 6. Et haec maxime obtinent, ubi
spes esset, fore ut tali casu cessaret periculum. Cum e-
nim obligatio haec non confurgat ex vera conjugis peti-
tione, sed ex interpretativa & praesumptiva tantum, quam
vult sibi mederi matrimonio in concupiscentiae remedi-
um instituto, & ex obligatione debita ratione fidei ma-
trimonialitatis ad praeservandum alterum a ruina carnis, u-
bi spes abesset hujus ruinae & vitiationis periculi, cessaret
utique talis obligatio, Vid. Palacios. Disp. 1. fol. 707. v. se-
cundam

enudum est. Petr. de Ledesma de matrim. quest. 49. artic. 5. dub. 2. conclus. 2. Angles. floribus 1. part. de matrim. quest. 6. de obligatione solvendi debitum artic. 1. diffic. 4. conclus. 4. Etsi forte idem pudor exigendi debitum aut timor in viro daretur, quod tamen Ponce de matrim. lib. 10. c. 2. §. 2. teste rarius in viris, quam in fœminis accidit, uxor itidem nec rogata tenetur reddere, quando novit ejus voluntatem petendi, & præ pudore aut ob pusillanimitatem, aut insignem uxoris auctoritatem asperamve conditionem petere veretur. Eadem enim hic militat ratio, quia conjuges quoad actuum conjugalium obligationem pares sunt. Pudore verò, timore aliisque debitum non petendi causis cessantibus, uxor non obstringitur viro debitum reddere, sed viri expressam petitionem expectare. Viros enim, cum verbis expressis debitum exigere minimè pudeat, dum id appetunt, hinc eos expressè non petentes nequaquam velle, uxor præsumere, sibi que optimo jure persuadere potest. Vid. Sanchez. c. 1. n. 4. & 5.

IV. Quamvis verò hæc ita sese habeant, varias tamen ob causas conjux à redditione debiti excusari potest, & quidem 1. quando sine gravi detrimento & salutis præsentis periculo reddere nequit. *c. quod proposuisti 18. caus. 32. quest. 7. c. consultationi 4. X. de frigid. & malef. ibiq. Joh. Andr. Hostiens. summ. tit. de frigid. & malefic. §. qua impotentia 5. & seq.* Ratio quippe naturalis exigit, ut quis prius salutis suæ consulat proprium individuum conservando, quam prolis generationi vacet: cum charitas benè ordinata à se ipsâ incipiat, & quilibet sibi met ipsi sit proximus *c. nisi specialis 3. de auct. & us. pall.* 2. Ex voto & contrahentium proposito hoc considerandum, utpote qui se ad conjugii ejuscemodi usum cum gravi suo incommodo obligasse, haud videntur. Excusationem igitur meretur conjux conjugale debitum non reddens, intuitu lepræ, morbi Neapolitani, aliusve similis. Nec obst. *c. quoniam 2. X. de conjug. leprof.* Intelligendus enim textus ille, de casu, ubi illa redditio non cedit in reddentis notabile damnum, uti

uti fieri posse Dd. tradunt, quando vir leprofus cum uxore sanâ rem habet. Ratio est, quia matrix fœminea sicca est ac frigida, ideoque aut minimo negotio leprofum expellit humorem, aut retentum consumit, & nisi frequens sit coitus, alia membra non penetrat, resistente nimirum frigiditate & siccitate prædictâ. Vir verò facilius excusabitur à reddendo debito uxori leprosa, quia virile membrum calidæ & porosæ complexionis est, atque sic comparatum, ut facile ex leprosa fœminæ matrice lepram attrahere atque infici possit, uti asserit ex Medicorum testimonio *Durand. 4. d. 32. q. 1. n. 8. Palacios 4. d. 32. q. 1. fol. 704. Bartol. à Ledesm. dub. 71. de matrim. conclus. 1.* In univèrsum autem tenendum est, quod si ex frequenti duntaxat, non verò ex uno vel altero coitu infectio timeatur, teneri conjugem semel vel iterum reddere. Quia tota ratio cessationis præcepti reddendi est timor infectionis, ac proinde in tantum cessabit, in quantum talis timor fuerit. *Palacios. in d. 52. q. 1. fol. 705.* Quid si verò propriæ quidem infectionis periculum cesset, probabile, tamen sit, fore, ut leprosa ex tali coitu nascatur soboles, dicit *Sanchez. c. l. Disp. 24. n. 24. & seq.* omninò partem sanam ad reddendum debitum adstringi, cum nulla proli irrogetur injuria, quin potius maximo afficiatur beneficio; consequitur enim vitam ex illo concubitu, ac melius illi est leprosam existere, quàm omninò non esse, sed quominus hæc sententia subsistere queat, infra trademus. 3. denique quia vitæ dominium minimè habent, inde moderatam quoque illius tuendæ curam quilibet habere obligarur, nec illam, ubi urgentior causa non cogit, gravi discrimini exponere necesse habet. *Sotus 4. disp. 32. q. un. art. 1. conclus. 2.*

V. Non inique denegatur II. actus conjugalis inde, ut vitetur aliquod grave nocumentum in bonis fortunæ. Ratio hæc est, quia conjuges dum inter se matrimonium contrahunt, sibi mutuo pollicentur industriæ communionem, ad rectam domus gubernationem, & rei fami-

B

fami-

familiaris utilitatem. Proinde quoties contemplatione hujus virum abesse necesse est, etiam per longum tempus, modò revertendi animum retineat, per consequens licitè ad tempus subtrahitur debitum conjugale, quia qui suorum & maximè domesticorum curam non gerit, fidem abnegavit, & infideli est deterior *c. 7. v. 15, 1. ad Corinth. 5. v. 25, 28, 29. & 31. 1. Timoth. c. 5, v. 8.*

VI. III. Rectissimè negatur debitum, quando exigens petendo peccat, ut v. gr. si adsit periculum abortus; tunc enim nullo modo debitum reddendum. Hinc facile judicari potest, utrum tempore menstrui, aut quo uxor est gravida, conjugale debitum reddi debeat, item utrum ante ablactationem infantis coitus sit concedendus, de quo posteriori casu tenendum, quoddamnum proli lactanti, si ex concubitu concipiatur infans, caveri possit, si eo tempore nutrici lactanda tradatur. Vid. *Sanchez lib. 9. Disp. 22. n. 14.*

VII. IV. Nonnulli dicunt sufficientem ad denegandum debitum causam esse, quando liberorum sustentationi non sufficiunt facultates. Ratio eorum hæc est, quia nō tenemur id solvere, quod sine gravi incommodo nostro solvere non possumus; at in dicto casu non potest conjux sine suo magno incommodo debitum conjugale solvere. Videns enim se plures habere liberos, quàm alere possit, eosque fame confici, mirum in modum torquetur, vitam acerbam ducit, ac interdum in desperationem adducitur. Sed perversa hæc est opinio i. quia cum sobolis procreatio, humanæque speciei propagatio sit matrimonii finis primarius, illudque honestet, fieri repugnat, ut exuberantior hujus finis consequutio eximat à debiti redditione, quæ medium est ad illum comparandum. *Petr. de Ledesma. de matr. quest. 64. artic. 1. diffic. ult. conclus. 1. Grassi p. 1. decis. l. 2. cap. 83. num. 1. 2. Immen- sam Dei misericordiam ejusque omnimodam providentiam c. 6. Matth. & alibi multoties in scripturis testatam subvertit. Sic enim ibidem Salvator noster tum à ma- jori*

jori ad minus, tum à minori ad majus argumentatur, dum inquit: Si Deus dedit vitam & corpus, dabit quoque nutrimentum & vestimentum, quæ illis longè inferiora & donatu faciliora sunt. Si alit aves, vestit gramen, cur vos destituet, quos tanto pluris facit, quàm aviculas. Proinde qui Patrem habetis talem, dicit Christus porro, tantâ benignitate prospicientem etiam aviculis, prospicientem flosculis, quarum illæ ratione carent, hæ nec sentiunt quidem, cum econtrâ videatis, illum vos tanti facere, ut corpori mirâ providentiâ composito rationalem indiderit animam, & angelicis mentibus similem, filiorumq; vos titulo dignetur: Abjicite igitur istam humilium & sordidarum rerû sollicitudinem, ut anxii trepidiq; dicatis, quid edemus, quid bibemus, aut quo vestiemur? Ethnicorum istæ voces sunt, non Christianorum, siquidem illi aut non esse Deum credunt, aut mortalium non agere curam confitentur. Hisce & similibus Servator noster summam Dei providentiam demonstrat, insimulq; ob oculos ponit, quàm verè peccent, qui omnipotentis Dei præsiidiis diffisi magnâ sollicitudine ea parare student, quæ ad victum, amictum & reliqua corporis commoda faciunt. Nec aliam ob causam Deus præcipit precari panem nostrum quotidianum dari nobis hodie, quàm ut sedulo inculcaret, nos non debere esse sollicitos in crastinum diem, sed potius ubi vocationis operas debitâ sedulitate fecerimus, incrementum laborum de die in diem Deo commendare. Videantur præterea *Psalm. 27. v. 10. 28. v. 6. & seqq. Esai. c. 40. v. ult. c. 49. v. 15. & seq. 46. v. 3. & seq. c. 43. v. 1. & seqq. c. 41. v. 10.* & infinita loca alia, quæ certos nos reddunt de summâ Dei erga mortales cura & bonitate.

VIII. V. Cum regulariter illicitus sit concubitus viri mentis compotis cum uxore amenti, propterea quod valde probabile sit fore, ut insanix furore correpta mulier, fœtum in utero necet, cessante tamen tali periculo, sive quia sterilis est, ut nulla concipiendi spes adsit, sive

B 2

quia

quia mitis admodum & non furiosa existit, licitus erit congressus. Rationem subjungunt Dd. quia ex se permissus est coitus, ratione verò solius periculi redditur illicitus, quod cum hoc casu cesset, cessabit etiam ipsa prohibitio. Ast inde minimè sequitur, quasi conjux sanus teneatur per se atque ex rei naturâ amenti petenti debitum reddere, nullum quamvis vel abortus, vel alterius damni periculum adsit. Cum enim illa debiti petitio non sit actus humanus, sed perinde ac vir insomnis peteret, cui tamen uxor non annuere tenetur. Præterea nostra assertio inde probari potest, quia quemadmodum vir amittit ob furorem jus ad suam bonorumque suorum administrationem, ita etiam ad usum matrimonii, vid. *Victor. summ. de matrim. n. 287.* Quod de furioso & amente dictum, idem de ebrio rationis usu privato videtur dicendum, cum utrobique eadem sit ratio, uterque enim non petit actu libero & humano, modò non subsit periculum incontinentiæ, ratione cujus alteruter conjugum adstringitur debitum reddere *Sanchez. d. l. Disp. 23.* Plura qui desiderat, quid circa conjugalis debiti denegationem justum vel injustum sit, cum ad sæpius citat *Sanchez. lib. 9. & Ponce de matrim. lib. 10.* temporis angustia exclusi, remittimus.

IX. Uti hætenus conjugalis debiti pertinacem denegationem malitiôsæ desertioni non absimilem esse assertum ivimus, ita etiam nullatenus absentiam fovemus sententiam, sævitiam planè incorrigibilem itidem desertioni adnumerando, uti infra latius deducemus. Vid. *D. Habercorn. dec. 13. Theod. Hopingks consil. 35. Philipp. Melancht. lib. de conj. pag. 639. Sanchez. lib. 10. disp. 18. n. 32.*

X. *Animo doloso.* Desertio quippe dici nequit, ubi malus animus fallendi & dolus abest, crimen namque est, crimen autem sine dolo nullum datur. *Alberic. Gentil. lib. 6. cap. 14. de nupt.* Stante igitur hæc hypothesi, non quamlibet absentiam, sed eam, quæ malitiosa est, divor-
tio causam præbere. Hinc excludimus eos, ui Re ipu
causa

causa absunt, utputa Legati aliique muneris vel officii publici causâ profecti: Sed de eo, qui militatum abiit, quid dicendum? Distingvunt Dd. 1. inter illos, qui pro patriæ salute militant, & illos, qui spe prædæ illecti aliena bella seqvuntur. 2. inter eos, qui cum conjugis consensu militatum abeunt, & eos, qui conjuge omni modo renitente militare vitæ genus eligunt. 3. inter eos, qui animum revertendi habent, & exacto anno uno vel altero revertuntur, & eos, qui ejusmodi animo desituuntur, ac per annos complures deposito maritali affectu hinc inde vagantur, hi enim desertoribus adnumerandi, non illi, vid. *B. Dn. Gerhard. de conjug. num. 628.* Proinde horum uxores, nisi de maritorum morte fuerint certioratæ, alteri non posse nubere tum Theologorum, tum Canonistarum sententia est. *c. in præsentia 19. X. de sponsal. c. dominus 2. X. de secund. nupti. Auth. hodie C. de repud. ibique B. Dn. Richter.* In dubio enim non præsumuntur mortui, licet ignoretur, ubi sint, juxta *Panormitan. ad c. in præsentia 19. X. de sponsal. n. 4.* quia hominis vita præsumptivè extendi potest ad 100. annos *l. fin. C. de S. S. Eccles.*

XI. De absentia casuali idem dicendum, ut & de voluntaria laudabili, tum eâ, quæ favore singulari judicatur digna, ut v. g. qui studiorum gratiâ alibi degit, tum eâ, quæ lucri & commodi causâ comparata est, ut mercatores alienas terras visitantes. Hinc si occasione vel mercaturæ, vel studiorum, vel legationis, vel alius absentia, quæ ex justâ & probabili causâ oritur, quis in captivitate incidat, modò non temerariâ proterviâ conjugem deserendi, & affectum maritalem abjiciendi ergo profectus sit, desertoribus adscribi nequit. Hinc *Luther. tom. 5. Jenens. german. lib. de caus. matrim. p. 2. fol. 256.* remota decidit: Wo sichs begiebt / daß ein Gemahl mit Wissen und Willen von dem andern zeucht / als Kauffleute / oder im Krieg gefordert / oder was sonst für Noht und Sachen seyn / daß sie beyde solches bewilligen / hie soll das ander Theil haben / und sich nicht verändern / biß daß es gewiß werde und

glaubwürdig Zeugniß habe/ sein Gemahl sey todt / denn weil
das Weib bewilliget in solche Reise ihres Mannes / und sich
in solche Gefahr begiebet/ soll sie es auch also halten / und son-
derlich wenn es umbs Guts willen / als bey Kauffleuten ge-
schehen mag. Kan sie umbs Guts willen bewilligen / daß
der Mann in solche Gefahr reise / so habe sie auch solche Ge-
fahr / wo sie kompt / warumb behält sie ihn nicht daheim bey
wenigern Gute/und läßet ihr in Armuht genügen.

XII. *Non justa & honesta causa.* Quando itaque
uxor conjugalis freni impatiens ob correctiones mariti,
vel ex aliâ levi causâ impatientiâve profugit, quis non vi-
det causæ injustiam? præprimis cum maritus utatur
jure, sibi tum à divinâ, tum humanâ justitiâ concessio.
Jus enim divinum sic fœminam alloquitur *Gen. 3. v. 16.*
sub viri potestate eris, & ipse *dominabitur* tibi, quæ verba
in Bibliis à Nicolao de Lyra Anno 1494. editis germa-
nicè ita versa leguntur: Under der Macht des Mannes
werstu wesende / und he schall aver dy herschopen / dy vakene
to pyneghende und to schlande. Hinc Sara de marito A-
brahamo loquens: *Dominus* inquit, meus ætate jam tum
gravis est. *Genes. 18. v. 12.* & Batseba Davidem maritum
Dominum vocat, & se *ancillam* illius *1. Reg. cap. 1. v. 17.* Vi-
deantur præterea innumera alia loca S. scripturæ, ut v. g.
1. Pet. 3. v. 1. | *1. Corinth. 11. v. 3.* | *ad Coloss. 3. v. 8.* De Jure
Canonico certum est, nihil aliud dispositum esse, sed
confirmatur potius, quod Jure divino proditum est *caus.*
33. quest. 5. c. 17. ubi sic scribit Pontifex: Mulierem con-
stat subjectam dominio viri esse, & nullam auctoritatem
habere, & *caus. ead. quest. ead. c. 13.* Hæc imago Dei est
in homine, ut unus factus sit quasi *Dominus*, ex quo cæ-
teri orirentur, habens imperium Dei, quasi vicarius ejus,
quia omnis Rex habet imaginem Dei, ideoque mu-
lier non est facta ad imaginem Dei *caus. ead. quest.*
ead. c. 18, 19. alibique eadem ferè leguntur. Manifestum
igitur est, voluisse legem, fœminam esse sub viro, ita ut
nulla ejus vota, quæ abstinentiæ causâ voverit, reddan-
tur

tur ab eâ, nisi auctor vir fuerit permittendo *caus. ead. quest. ead. c. ii.* Nec desunt textus in jure civili, quibus probari possit maritorum in uxores imperium, vid. *l. 57. ff. de donat. int. vir. & uxor.* in verbis: cum petenti mihi à Te Domine carissime adnuerit indulgentia Tua & c. & *l. 88. §. 2. ff. de legat. 2.* in verbis *Mœvi & Semproni filii dulcissimi, præcipitote quicquid ex hereditate bonisve Titii Domini mei Patris vestri, & in fin. ejusd. §. post mortem Titii Domini mei.*

XIII. Sed quid dicendum, si alteruter conjugum vel furore, vel morbo contagioso & incurabili laborare incipiat, annon hæc sufficiens causa erit deserendi conjugem? Ratio dubitandi in hoc consistit, quia alterutra pars nullo modo amplius apta est matrimonio; non enim procreationi sobolis, utpote tantâ corporis infirmitate correpta, ut debitum præstare nequeat, nec propter ægritudinem cognosci: non mutuo adjutorio, ne scilicet pars nondum infecta venenoso hoc morbo inficiatur, siquidem ut Poeta inquit: ense rescindendum est, ne pars sincera trahatur. Sed his non obstantibus Theologorum & Canonistarum sequimur sententiam, nullatenus scilicet conjugem hujusmodi morbo laborantem deserendam esse per *c. 1. & 2. de conjug. leprosf. c. hi qui 25. caus. 32. q. 7. & c. si uxorem 18. caus. 33. quest. 5. l. si cum dotem 22. §. si maritus ff. sol. matrim.* ubi inquit Ictus; quod nihil tam humanum fit, quàm fortuitis casibus mulieris maritum, vel uxorem viri participem esse. Hinc est, quod maritus uxorem peste infectam & laborantem deserens, portionem statutariam amittat *Roland. à Vall. in tract. de lucr. dot. quest. 66. Ripa in tract. de pest. cap. de privil. contract. caus. pest. 1. n. 203. Rauckbar. p. 2. quest. 29. n. 1. & seqq. Coler. de aliment. l. 2. c. 5. n. 43. & seqq.* Deinde, quia matrimonium non tam corporum, quàm animorum conjugum communicationem individuanque vitæ consuetudinem inducit. *Genes. 2. v. 24. Matth. 19. v. 5. & 6. Marc. 10. v. 8.* Conjugium enim, juxta multorum sententiam, denominationem suam

am habet à jugo, eo quod conjuges pari jugo vinctos esse oporteat, tam in secundis, quàm adversis rebus alter alterius calamitates patienter sufferre, & quoad ejus fieri potest, sublevare debeat. *c. l. 22. §. 2. ff. sol. matrim. Vid. Benst. de matrim. p. 2. c. 1. §. 1. Sebrader. ad tit. J. de nupt. p. 2. n. 38. v. etiamsi unus.*

XIV. Quod si verò ex cohabitatione periculum immineat, sanus seorsim quidem potest habitare, prope verò domum ubi v. g. leprosus decumbit, subsistere tenetur: quia licet contemplatione lepræ conjux absolvatur à cohabitatione ob contagionis periculum, non tamen ab aliis obsequiis leproso exhibendis absolvitur: Ne igitur huic obligationi deficiat, pars sana prope leprosi domum, ut dictum est, habitare necesse habet. *Sarcirius in libell. de caus. matrim. p. 189. & 230. nonnullorum Theologorum judicia collegit, quæ parti rectè valenti aliud matrimonium permittunt, propter scortationes fugiendas, modò pars leprâ vel alio incurabili morbo laboret, altera verò se continere nequeat. Idem sentit de furore insanabili p. 204. ita tamen ut ægrotæ parti de alimentis aliisque necessariis prospiciatur. Quæ sententia, ut singularis, & juri contraria, ita hætenus paucos invenit Patronos.*

XV. Secus se res habet in sponsalibus. Si enim post sponsalia ante sacerdotalem & carnalem copulam alterutra persona furore perpetuo corripiatur, ita ut intra longioris temporis spatium, adhibitis commodis remediis haud potuerit sanari, pro salvandis conscientiis, & evitandî majoris mali gratiâ ejusmodi sponsalia dirimi, & sanæ personæ aliud matrimonium permitti potest. *Nov. Leon. III. §. 112. A furente enim persona neque sacra benedictio, ad consummationem matrimonii omninò pertinens, propter perpetuum furorem unquam peti, arg. l. 27. ff. de recept. qui arbitr. recep. l. 2. ff. sol. matrim. l. 2. §. furiosi. ff. de condit. Instit. nec fœdera conjugalia & officia perfici possunt. arg. c. nostrates 3. caus. 30. quest. 5. adeoque fu-*

furiosa persona, vel divinitus etiam ad perpetuam conti-
nentiam censetur vocata *arg. c. dilectus 24. X. de sponsal.*
Idem dicendum, quando post sponsalia alteruter contra-
hentium perpetua & incurabili paralyfi immedicabilive
frigidityate corripitur, genitalibus læditur, prorsusve de-
stituitur, aliove morbo fontico perpetuo laborat, qui
eum ad expedienda munia conjugalia omninò inhabi-
lem reddat. *arg. c. quod proposuisti caus. 32. quest. 7. c. quod
autem 29. caus. 28. quest. 2. & c. quod autem interrogasti. caus. 33.
quest. 1.* Eadem obtinent, si desponsatarum alterutra post
publica sponsalia morbo, non usum quidem corporis
prorsus impediente, ita tamen insanabiliter contagioso, ut
altera alterius ingressum meritò exhorrescat, puta mor-
bo Gallico aliove simili contagioso vel turpi & incurabi-
li correpta sit. *arg. c. final. X. de conjug. leproso. Cypræ. de spons.
c. 13. §. 66.* Hinc quoque ejusmodi morbis affectis ma-
trimonium propter commune bonum interdicendum
est, etiam si quàm maximè jungi velint, ne sc. ex tali conju-
gio liberi ad perpetuam miseriam, & commune Reipubl.
detrimentum aliique iisdem inficiantur, semper enim id
quod publicè interest spectandum *l. actione §. Labeo ff. pro
soc. l. si quis grave §. Labeo ff. ad Scrum Syllanian. l. unic. §.
hæc autem omnia 14. C. de caduc. tollend.* Huic accedit jus
divinum, quo leprosi solitariam vitam vivere tenentur,
Levit. 13. & 14. Denique Medicorum etiam testimonio
lepra hereditariis morbis adnumeratur, qui cum semine
in liberos derivantur, & longè lateque disseminantur, ut
quicquid ex eo matrimonio gignatur, ad Reipubl. perni-
ciem & pestem nasci videatur, ob contagium, quo o-
mnes veluti peste inficiuntur. *Cypræus de sponsal. c. cit. 13.
§. 65.*

XVI. *Conjuge.* Voce hac tam mas quàm fœmina
intelligitur: inter utrosque enim cum eadem sit ratio
quoad desertionis casum, idem quoque jus statuendum
erit. *l. à Titio 108. ff. de V. O.* Imò sponsus etiam & sponsa
hac voce veniunt, quia alias Jctis infrequens non est,
C hac

hac voce tum sponsum tum sponsam complecti l. 68. ff. de gradib. & affinib. l. 4. ff. de fund. dot. l. 5. C. de bon. que lib.

XVII. *Publicis citationibus.* Cum citatio sit omnium actionum instituendarum & suscipiendi iudicii principium §. ult. *Inst. de poen. temer. litigant.* & ad essentiam ordinis iudicarii seu processus pertineat *Gail. 1. observ. 48. num. 2.* ita ut eâ omisâ nihil cognosci, nihil statui possit; & si quid contra factum fuerit, id pro infecto habeatur, nec rei iudicatæ auctoritatem obtineat: l. 4. C. de sent. & interloc. neque enim Iudex contra jus naturale & divinum reum privare debet defensione, quæ naturalis est. *Damboud. prax. civil. c. 54. num. 3. Merul. lib. 4. dist. 4. sect. 1. tit. 4. cap. 1. Gail. de pac. publ. 5. n. 6. Christin. vol. 2. dec. 89.* Inde in processu desertionis illa etiam requiritur, ita quidem ut pars deserens per legitima intervalla ter per publica edicta citetur, in loco ubi contraxerunt partes matrimonium & habitarunt, & ubi cognatos habent; Sic enim præsumitur citationem ad desertoris notitiam pervenire posse. Imò ejusmodi edicta in diversis territoriis, si opus erit, affigi solent. Quod si desertor, ad primam citationem non compareat, denuò debet citari ad alleganda impedimenta, muß biß uff Ehehafft citiret werden. Spretâ etiam hac secundâ citatione ad audiendam sententiam citatur. Vid. *Beust. de matrim. part. 2. c. 27. & seqq. & infra à nobis notata.*

XVIII. *Vagatur.* Vagari is dicitur, cui nec certum domicilium, nec constans habitatio est. Hinc statim quaerendum, quid obtineat, si uxor vagabundum maritum sequi nolit? Decidit Pontifex in c. 3. *caus. 13. quest. 1.* quod unaquæque uxor sive in vita, sive in morte, virum suum sequi debeat. Sed nos non attentâ generalitate textus Juris Canonici cum Beustio distinguimus: Aut maritus jam contracti matrimonii tempore erat vagabundus, uxorque sciebat eum talem esse; aut non erat talis tempore contracti matrimonii, vel etiam uxor ignorabat: priori casu uxor omninò obligata est: f. qui

sequi maritum; mores enim ejus approbasse cense-
tur, sibi que imputare debet, quod tali errori nupserit;
Posteriori verò casu non tenetur sequi maritum, quando
malitosè vagatur; secus autem statuendum, si modica
tantùm sit peregrinatio, vel etiam maritus ex causâ se
transferat ad alia loca mutando domicilium. *Beust. part. 2.
c. 32. Cyn. in l. liberta C. de operis libert.* Hinc etiam non
obstante pacto dotali, quo se maritus adstrinxit, quod
nolit discedere à loco & domicilio uxoris, nihilominus
maritus accedente novâ causâ, propter quam discedere
cogitur, alibi habitationem instituere potest, puta: nisi
domicilium mutaret, incideret in capitales inimicitias,
vel aër istius loci nollet eum ferre, vel non posset se &
conjugem in illo loco alere &c. *Panormitan. in c. 1. n. 4. § 5.
Qui matrim. accus. poss.*

XX. Sed porrò quaeritur: Utrum præcisè uxor
virum ob suum delictum bannitum sequi teneatur?
Quod *Joh. Petr. Surdus de aliment. tit. 7. quest. 26. num. 7.
Hartm. Pistor. observ. 148. num. 3.* alique affirmant indefi-
nitè quia i. delictum, propter quod maritus civitate eji-
citur, non est sufficiens ad matrimonium dissolvendum
causa *l. res uxoris §. si autem C. de donat. inter vir. & uxor. l. 1.
C. de repud. c. 2. X. de divort.* Hinc est, quod uxor mari-
tum bannitum recipiens, etiam in atrocioribus delictis
excusetur; matrimonium enim aquæ & ignis interdi-
ctione non solvitur, per citatos textus. vid. præterea *Gail.
l. 2. c. 20. de pac. publ.* Deinde, nihil adeò humanum esse
videtur, quàm fortuitis casibus mulieris maritum, &
contra uxorem viri participem fieri. *l. si dotem 22. §. si ma-
ritus 7. ff. solut. matrimon. l. sed si alia ff. de bon. damnat.* Inde
tamen malè colligitur, quasi mulieri bannitum sequen-
ti æquè ac marito reverti, & de bonis suis disponere ac
per tempus ibidem commorari non liceat. Nam & hoc
rationem habet, quod quandoque non adeò severè à mu-
liere sit exigendum, ut bannitum maritum sequatur, sed
potius Judicis relinquendum arbitrio, quid videlicet res

rationesque domesticae, liberorum communium & rei familiaris ferant, & utrum salvâ honestate uxor inter peregrinos versari possit. Vid. *Petr. Heig. p. 2. quest. 14. circa finem.* Surdi & Pistoris sententiam Scabini Lipsienses approbarunt, uti legere est apud *Carpzov. in prax. Crimin. p. 3. quest. 130. num. 48. in verb.* So viel aber sein Ehemweib anlanget/obwol dieselbe diese Lande zu meiden nicht schuldig/ so wird ihr dennoch/ihrem Ehemann mit wesentlicher Wohnung zu folgen/billig auferleget: Es ist ihr aber mittlerzeit ihre Güter pachtweise auszuthun / oder sonsten durch andere bestellen zu lassen unbenommen.

XXI. *Nulla spes reditus.*) Quantum tempus, ut quis desertor præsumi possit, requiratur, inter Dd. non satis convenit. *Coytraus in comm. Deuteron. fol. 120.* sic scribit: Leges Imperatorum tempora certa & numerum annorum definiunt, intra quos conjugium desertæ personæ concedi possit, id quanquam optimo consilio factum est, tamen casuum tanta est dissimilitudo, & circumstantiarum in desertis maritis ac fœminis, ut difficile atque periculosum sit, certum tempus lege præscribere, sed Judicis pii & prudentis arbitrio rectissimè permittitur, ut pro circumstantiarum varietate tempus contrahendi alteras nuptias longius aut brevius constituat, & quantum omninò sine conscientia periculo fieri potest, desertam personam consoletur, & exspectare sinat, donec de desertoris obitu vel pœnitentia cõstet. Hinc *B. Dn Gerhard. in loc. de conj. n. 632.* optimè cõcludit, dicens: si constet de uxore, quod vitæ fuerit probatæ, mariti observans, & domesticae concordia studiosa, nullamq; discedendi causam fugitivo marito exhibens. Item si in ætate juvenili adhuc constituta, ut periculum scortationis metuendum sit, numerus annorum quibus redeuntem exspectet, imminui poterit, & trina citatione publicâ præcedente, eademque à desertore penitus neglectâ citius à jugo erit liberanda. Aliud obtinet in morosa, quæ malis suis moribus quotidianisque jurgis occasionem de-

ferti-

sertionis dedit. Idem dicendum de eâ, quæ propter
ætatem provecam nullum à vehementioribus uftioni-
bus metuere necesse habet periculum. Hæ enim & ejus-
dem farinae aliæ longiori temporis spatio mariti reditum
exspectare, vel eundem sequi, & inquirere ipsique recon-
ciliari jubebuntur.

XXII. Et hanc sententiam amplexi sunt Jcti ma-
gni nominis, dum, ne temerè fiat divortii declaratio,
statuunt, ante omnia Judicem inquirere & inspicere de-
bere 1. causam discessus, utrum hic necessarius fuerit,
an merè voluntarius, & si talis, an probabilis, an ex le-
vitate quadam, aut erga conjugem irâ & indignatione
profectus fuerit? De necessariâ verò absentia notan-
dum, quod illa absit à desertionis vitio quamdiu talis;
ubi verò incipit desinente causâ esse voluntariâ, dege-
nerare potest in malitiosam. 2. tempus absentia, an fa-
ciat præsumptionem desertionis. Temporis hujus apud
Jctos definitio varia est. Alii enim biennium, alii tri-
ennium, alii quadriennium, alii quinquennium, alii
septennium, aut etiam decennium requirunt. Ipse *B.*
Lutherus in lib. de caus. matrim. tom. 5. fol. 256. annum unum
vel etiam dimidium sufficere censet, ut deserta citationes
impetret, quasi desertor pertinaciter cõtempserit, ab illo
libera pronunciarî queat. *Kompt er alsden nicht/inquit c. l.*
so soll er nimmermehr kommen. At uti lex nihil certi in ge-
nere definivit, ita nec facile etiam definiri potest, relin-
quendum igitur, uti dictû, pii judicis arbitrio. *Arnif. de jur.*
connubior. cap. 6. sect. 7. n. 28. Schneid. ad tit. Inst. de nupt. p. 4.
rubric. de divort. n. 46. ibiq. præjudicium. 3. Mores personæ
tum desertæ, dum desertoris, utrumne discessui causam
dederit, quomodo semet post eum gesserit vid. *Carpz. in*
Jurispr. Consistor. l. 3. c. 57. n. 1. & seqq. Mev. p. 4. d. 7.

XXIII. Hactenus de ipsis nuptiis, jam videndum
quid circa sponsalia juris sit; ut autem eo felicius pro-
grediamur, distinguendi sunt casus; Aut enim præfi-
xum est tempus in sponsalibus, & tunc mulier despon-

stata tenetur per denominatum tempus sponsum exspe-
ctare. vid. l. 2. C. de sponsal. ibiq³, Brunnem. & præterea Fin-
ckelthaus, observ. iii. n. 3. Aut nullus terminus sponsalibus
est præfixus, & tunc sponsum vel abest ex causâ necessa-
riâ, puta ob Parentum morbum, obitum, item propri-
um impedimentum, videlicet captivitatibus, aliarumque
rerum similium, & tunc expectandum est, donec cesset
impedimentum, juxta decisionem l. sepe. quæ est penultima
ff. de sponsal. vel abest ex causâ probabili & justâ, non ta-
men necessariâ, & tunc, si in eadem sit provinciâ, bien-
nio expectandus, prout definit l. 2. C. de sponsal. si in aliâ,
triennio: hac tamen cum limitatione, ut, si sciri queat,
quo se sponsum transtulerit, procedatur secundum di-
stinctionem jam traditam, quando videlicet est in eadem,
vel diversâ provinciâ: ubi autem id ignoratur triennio
expectandus est. Covarruv. 4. decret. 1. p. c. 5. init. num. 7.
Ratio autem decidendi duplex potest assignari, quare
ultra tempus vel conventionale, vel lege definitum non
cogatur sponsa expectare 1. quia illa procrastinatio vel
contra leges, vel contra conventiones facta habetur pro
tacito repudio; veteres enim dixerunt eum, qui diu du-
bitat, noluisse vid. Sichard. ad l. 2. C. de sponsal. n. 1. in fin.
& 2. in princip. Altera est, quia si per longius tempus,
quàm quod vel lege, vel conventionem erat præfixum, ad-
stringeretur expectare absentem, teneretur etiam interea
oblatam honestam nubendi occasionem respuere, sed
consequens videtur absurdum, eo scilicet casu, quando ab-
sens animum revertendi deponit, atque ita vota eludit,
ac irreparabili damno periculoque innocentem partem
exponit. Concludimus igitur statim elapso termino
sponsalia dissolvi ex parte illius, qui non est in morâ, &
per quem non stat, quin nuptiæ celebrentur, unde etiam
resilire potest, si velit, saltem altero culpabiliter in morâ
existente, nec opus est, ut aliqua præcedat admonitio,
& hanc decisionem quoad conventionale tempus veris-
simam esse, nullum est dubium; nam illud pro homine inter-

interpellat *arg. l. 9. pr. ff. de usur. l. 12. C. de contrah. stipul.*
quamvis nulli dubitemus asserere, idem operari provisio-
nem legis, si v. g. vel biennium, vel triennium fuerit
præterlapsum. Nec enim cogenda sponsa vagabun-
dum sponsum sequi, & admonere officii *arg. l. quod nisi
fiat. §. ex provinciâ ff. de oper. libert.* Et hæc de jure civili sunt
verissima.

XXIV. Jure Canonico autem itidem distingui-
mus; Vel sponsus cum sponsæ licentiâ se in longinquum
transtulit iter, interque eos convenit de absentia tempo-
re, atque ejusmodi tenetur sponsa expectare, quod si
eo elapso non veniat, alii potest nubere, nisi constet in-
culpabiliter sponsum præstituto tempore non venisse.
Vid. *Sanchez. de matrim. lib. 1. disp. 54. n. 12.* Aut non ob-
tentâ ejusmodi licentiâ se aliô confert, & tunc sponsæ
liberum est alii nubere. Rat. 1. quia tam longè recedens
videtur cedere juri sponsalium 2. quia Pontifex *in c. de
illis X. de sponsal.* expressè dicit, licitum esse, & posse reli-
ctam aliud libere contrahere matrimonium; si autem
vel biennium, vel triennium juxta decisionem legum ci-
viliū expectare deberet, jam non posset libere facere.
arg. gloss. Clement. Dudum de sepul. verb. liberè: quæ vox li-
berè, juxta eam denotat, quod non sit necesse haberi li-
centiam. Et hæcenus tradita procedunt, licet sponsa-
lia juramento sint confirmata. *c. de illis X. de sponsal.*

XXV. Quæ vero dicta sunt de dissolutione sponsa-
lium propter unius absentiam, illa restringenda erunt ad
iter in longinquam terram susceptum, ita ut v. g. ex ni-
miâ sponsi morâ, vel gravè periculum incontinentiæ
sponsæ immineat, vel cum alio matrimonium contra-
hendi necessitas urgeat. Hinc si sponsus in loco pro-
pinquo sit, vel expectandus, vel requirendus erit, ut
intra certum tempus contrahat matrimonium: & si ju-
sto impedimento detineatur, non temerè sponsalia erunt
dirimenda. Similiter sententia nostra intelligenda est de
casu, ubi de proximo sponsi reditu nulla est spes; ea enim

exi-

existente non dissolventur sponsalia *c. de illis 5. X. de sponsal.* ubi dimittere terram, & se ad alias partes transferre dicuntur illi, qui longius absunt, ita ut spes reditus evanescat; Transferre enim se aliò diuturnitatem quandam importat, ut *Cic. pro Cluent.* Totum se ad arces componendas transtulit. Nec propriè dicitur, aliquem dimisisse domum, & se in ædes hujus illiusve transtulisse, cum eum officii gratiâ invisit. Et hæc sententia legitima est, tum quia in eo casu sponsus sponsalibus renunciare non videtur, tum quia ex brevi morâ sponsa nullum est incursum damnum, propter quod rationabiliter à fide datâ queat resilire. Quamvis autem leges nihil de sponsæ absentia disponant, quia rarò ea contingit, per extensionem tamen idem juris est, si sponsa diutius differat matrimonium, propter naturam correlativorum, quæ est, ut jus constitutum in uno, porrigatur etiam ad alterum *l. si cum dies 6. penult. ff. de recept. qui arbitr. l. fin. C. de indict. viduitat. l. fin. ff. de acceptilat. vid. Everhard. loc. d. correlativ. n. 8.* De procedendi modo contra absentem sponsum observando vid. *Cyprus de sponsal. c. 13. §. 72.*

XXV. *Reconciliationis.* Licet Judicis sit omni modo & solùm id in causis matrimonialibus agere, ut vel reconciliatio fiat; non enim eum abstertere debet sæpius fuisse frustra tentatam animorum reconciliationem, cum non omnis horæ, nec omnis actionis eadem sit infelicitas, & altera sæpius minus sollicitis ferat, quod alia magno labori non attulit, ut dicit *Mev. p. 6. dec. 53.* vel aliâ ratione parti innocenti subveniatur, puta cautione, cujus nomine & juratoria hoc casu venit, quando videlicet, nec fidejussoria, nec pignoratitia haberi potest, nec uxor in posterum citra justam causam vel offendatur, vel malè tractetur. *c. ex transmissa 8. X. de restit. spol. ibique D. Ziegl. addatur Sanchez. de matrim. lib. 10. tit. de divort. Disp. 18. num. 4. Menoch. arbitr. judic. quest. cas. 139. n. 4. idem cas. 142. num. 2. Uran. tom. 2. consil. 66. Rittershus. ad Nov. part. 4. c. 10. num. 11.* Quod si maritus suæ cautionis

nis & promissionis immemor uxorem verberibus immo-
dicis, vel ad mortem usque malè tractare pergat, nec à
priori sævitià desistat, usque adeò, ut uxor ei tutò ampli-
us cohabitare nequeat, nec sævitià illa ullâ ulteriori cau-
tione reparari possit, malevolum namque animum cau-
tio non mutat *§. fin. Inst. de susp. tutor.* Ecclesiastici Ma-
gistratus officio implorato separatio thori & mensæ, quo-
usque timor sævitiæ desinat, decerni, maritusque carce-
ris vel relegationis pœna coërceri potest. *dict. cap. ex
transmissa 8. X. de rest. spoliator. c. literas 13. X. eod. ibiq. Ziegl.*
Quod si verò ex omnibus circumstantiis, puta persona-
rum, structarum insidiarum vitæ, sævitiæ & propterea
irrogatæ pœnæ qualitate, nec non etiam lapsu temporis,
judicis arbitrio æstimandi, appareat, nullam amplius
spem reconciliationis vel matrimonii redintegrationis
supereffe, partemque innocentem nocenti ob capi-
tales inimicitias non amplius tutò & absque vitæ
presenti periculo credi posse, nihil obstabit, quo minus
desertorius processus adversus talia patrantem formetur;
Eo ipso enim dum nocens personam intolerabili suâ sævitiâ
facit, ut innocens secum habitare nequeat, denegat de-
bitum conjugale; de quo supra *th. 3. & seqq.* latius egi-
mus, carnis unitatem & individua vitæ consuetudinem
dividit *arg. 1. ad Corinth. 7. v. 15. ad Ephes. 5. v. 25. 28. 29.
& 31. item 1. ad Timoth. 5. v. 8. in verb. Si quis autem suorum
& maxime domesticorum curam non habet, fidem nega-
vit, & infideli est deterior. jung. §. 1. Inst. de patr. potest. & l. 1.
ff. de rit. nupt.* Propterea quoque persona innocens ad
redintegrandum tale matrimonium adigenda non est,
cùm in eo vita futurum sit supplicium, & mors solatium.
Rectè ergo statuit *Kitzelius in synopsis. matrim. c. 8. lit. 1. in fin.
Legem ex consensu 8. §. 2. C. de repud. Novellam 117. c. 8. & 9.
tantùm abesse, ut juri divino sint contrariæ, ut potius ma-
gistratus Christianus citra læsionem conscientiæ hisce in-
casibus eas servare, vel iterum in usum revocare possit.
arg. c. 13. v. 1. & seqq. ad Roman.*

XXVI Hactenus in definitionis malitiosæ desertio-
nis explicatione occupati fuimus, & occasione ejus tum
subjectum, tum objectum, tum etiam causas considera-
vimus, jam ea quæ ad processum spectant paucis deliba-
bimus. Sed cum incompetenti Judici impunè non pa-
reatur, juxta decisionem legis *fin. ff. de jurisd.* hinc operæ
pretium erit, pauca de Judicis competentia præmittere,
Æstimatur autem illa ex personâ rei; actor enim rei fo-
rum sequi tenetur *l. 2. C. de jurisd. omn. Judic. l. fin. C. ubi in
rem act. c. si clericus X. de for. compet.* Hoc verò rei forum
vel oritur ex jure communi, vel ex privilegio. Ex illo
jure vel quis sortitur forum ratione patriæ & domicilii
*l. 2. §. 4. & 5. l. 24. ff. de judic. vel contractus, & quidem
aut ex prorogata jurisdictione e. 18. X. de for. compet. aut
ubi ipse contractus de negotio aliquo civili inter contra-
hentes perfectè celebratus est l. 19. §. 1. & 2. l. 20. l. 45. §. 4.
ff. de judic. vel delicti l. 20. ff. eod. vel rei sitæ l. unic. C. ubi de
poss. l. unic. C. ubi de hered. l. 1. C. ubi in rem act. exerc. vel de-
nique continentia causa l. 10. C. de judic. l. 1. & 2. C. de quib.
reb. ad eund. judic. eat.* Forum privilegiatum autem quis
habet tum ob causas, tum ob hominum conditionem va-
riam. Causas privilegiatas quod attinet, ex aut sunt
spirituales & ecclesiasticæ, & coram judice Ecclesiastico
eas ventilare decet, *c. 3. X. de judic. vid. Carpzov. l. Resp. 86.*
aut seculares, & quidem vel feudales, de quibus videatur
Magnif. Dn. Struv. in Syntagm. Jur. Feud. c. ult. aphor. 4.
ubi tradit, quod regulariter vel Dominus feudi cum Pa-
ribus Curia, vel etiam Pares Curia soli sint Judices: ali-
quando tamen ad ordinarium loci Judicem res feudalis
decidenda deferatur, vel etiam arbiter constituatur. Vel
causæ statns *t. t. C. ubi caus. stat.* Vel denique causæ fiscales
t. t. C. ubi caus. fiscal. Ratione conditionis personarum,
aut respectu actoris singulare forum competit, ita ut is
statim reum coram supremo judicio convenire possit *l. u-
nic. C. quand. Imp. inter. pupill. vel vid. vel alias miser ab. person. aut
respectu rei, & sic Clerici coram judice Ecclesiastico con-
veni-*

veniendi *Auth. statim. C. de Episcop. & Cler. & ibid. B. Dn. Richter.* modol is non sit ratione rei sitæ *auth. Clericus C. de Episc. & Cler. c. 1. X. de privileg. in 6. c. 16. X. de for. compet.*
 2. Professores, cum totâ familiâ, & studiosi coram Academia Rectore *Auth. Habita C. ne fil. pro patr. ibidemque B. Dn. Richter. & Gothofred. Sæv.* 3. Milites ratione delictorum levium & militarium coram Magistro militum *l. 3. pr. ff. de re militar.* quod tamen finitâ militiâ definit *Mev. p. 3. d. 72.* 4. Senatores & Clarissimi, de quibus in *tot. tit. C. ubi Senat. & Clariss.* 5. Principis Officiales delinquentes in eoloco, ubi Princeps est, vel Principis negotium exercent. *Brunnem. in process. exquisit. c. 3. n. 31.* Denique privilegiatæ Statuum Imperii instantiæ primæ, vulgò *Austregæ dictæ.* Vid. *Ordin. Cameral. p. 2. tit. 2.*

XXVII. Jam videndum cui foro causâ desertionis sit adscribenda, privilegiato, an minus privilegiato? Nos Jure Canonico introductam, & cõmuni Dd. calculo confirmatam sequimur sententiam, dicentes, causam desertionis malitiosæ tanquam matrimonialem fori esse privilegiati, quod à Pontificiis Ecclesiasticum solet vocari. Vid. *c. 13. & 28. X. de sponsal. c. 16. X. de offic. & potest. deleg.* Quod dum statuimus, non fovemus eam sententiam, quasi matrimonium sit res spiritualis, sed dicimus, causas matrimoniales, quantum ad formam & substantiam matrimonii, utpote quæ in consensu & contractu perpetuæ cohabitationis consistit, esse seculares. Quia verò presbyterii Ecclesiastici est, inter alia curare, ut piè & religiosè matrimonia celebrentur, ideò rectè in nostris Ecclesiis per Ecclesiasticum Presbyterium & Christianum Politicumque Magistrum simul expeditur. Vid. *Luther. in Bedencken von Handlung in Religion-Sachen sub tit. von Ehesachen Bucer. de matrim. lib. 2. c. 15. Philipp. in lib. de Episcop. Jurisd.* Diversi sunt hac in re Catholici, qui ex dispositione Juris Canonici causas matrimoniales propter matrimonii sacramentum, tanquam spirituales & Ecclesiasticas, item arduas & majores, ab Episcopis



& Judicibus majoribus, discretis, qui potestatem habeant
judicandi, & Canonum statuta non ignorent, determi-
nari & judicari debere asserunt, per *c. ex literis* 1. *in fin. X. de*
consang. & affin. c. penult. X. de in integr. restitut. Hinc Laicus
Judex sine Romani Pontificis speciali licentiâ in causis
spiritualibus intromitti nequit, *c. decernimus c. quanto X.*
de judic. c. lator c. causam X. qui fil. sint. legitim. Et hoc etiam
in specie de causis matrimonialibus, sive de contrahen-
do, sive de dissolvendo matrimonio agatur, traditur in
c. multorum 10. caus. 35. quest. 6. c. ex accidentibus 12. X. de exces-
sib. Prelator. c. Tue X. de Procurat. Sed quàm benè ma-
trimonium inter sacramenta referatur, tradit *Marc. An-*
ton. de Domin. in Republ. Eccles. l. 5. c. 11. ubi n. 24. ita scribit:
Sacramentum tamen in matrimonio ego nullum verum
& propriè dictum possum invenire. Ex quinque enim
illis, quæ sacramenta vocantur, ultra Baptismum & Eu-
charistiam, nullum est, quod pauciores in se habeat veri
sacramenti proprietates, quàm matrimonium. Ad sum-
mum enim, si quid sacri in se habet, habet duntaxat simi-
litudinem quandam, quam etiam ex divinâ, si vis, insti-
tutione repræsentat, divinæ illius & magnæ conjunctio-
nis Verbi cum naturâ humanâ, & Christi cum Ecclesiâ,
ut Paulus manifestè expressit *Eph. 5. v. 6.* Sed si hinc ma-
trimonium est verum & propriè dictum sacramentum,
verum & propriè dictum sacramentum erunt pariter
arcus Iridis in nubibus, *Genes. 9. v. 3.* Sagena missa in ma-
re *Matth. 13. v. 47.* granum synapis *Matth. 13. v. 31.* fer-
mentum in farinâ *ibid. v. 33. &c.* Hæc enim omnia sunt
signa & mysteria quædam ac similitudines, quibus res
spirituales non minus, quàm per matrimonium Christi
incarnatio & conjunctio cum Ecclesiâ repræsentatur.
His & similibus Pontificiæ opinionis absurditatem de-
monstrat *cit. Marc. Ant. de Domin.* ad quem etiam B. L. re-
mittimus, præprimis cum hæc non tam ad Juridicam,
quàm Theologicam spectent cathedram.

XXVIII. Sed cum per transactionem Passaviensem
& sub-

& subsequutam pacem religiosam quoad Status Imperii
Augustanæ confessionis Jurisdiction Ecclesiastica suspen-
sa sit. vid. X. A. de anno 1555. §. Damit auch obberührte beyde
Religions-Verwandten / so vielmehr gegen und bey einander
sitzen und bleiben mögen / so soll die geistliche Jurisdiction,
wider die Augspurgische Confessions-Religion, Glauben/
Bestellung der Ministerien / Kirchenbräuche und Ceremoni-
en / so sie aufgerichtet oder aufrichten möchten / bis zu endlicher
Vergleichung, der Religion nicht exerciret / gebraucht oder
geübet werden. Hinc vigore hujus pacificationis mul-
toties in Imperio confirmata, Status Augustanæ Confes-
sioni addicti potestatem consecuti sunt, super negotiis
Ecclesiasticis statuendi & judicandi, quod etiam per Con-
fistoria sua Ecclesiastica, ad eadem tam Theologis, quam
Jctis talium causarum peritis deputatis, jure proprio &
inveteratâ consuetudine expedire solent. Referimus
igitur causas matrimoniales non ad Ecclesiasticas merè
spirituales, ut sunt illæ, quæ fidei Christianæ veritatem
immediatè respiciunt, ceremonias sacras & cultum di-
vinum, vel etiam ea, quæ sunt ordinis, concernunt. Nec
ad eas, quæ dicuntur spirituales ratione dependentiæ &
consequentia, quæ vel respiciunt disciplinam Ecclesia-
sticam, vel controversiam de personis & bonis Ecclesia-
sticis, item de reformatione, & similibus. vid. *Reinking.*
de Regim. sec. & Eccles. lib. 3. class. 1. cap. 10. num. 16. Sed
ad eas, quæ vocantur mixti fori, quæ aliquan-
do ad Ecclesiasticum, aliquando ad seculare forum per-
tinent pro diversa consideratione; Mixti enim fori di-
cuntur eæ causæ, quæ propter concurrentia jura in iis-
dem tam à Judice Ecclesiastico, quam à Judice seculari
cognosci & dijudicari possunt *arg. c. cum sit generale 8. X.*
de for. compet. vid. Kitzel. in synopsis. matrim. c. 10. theorem. 8.
Reinking. c. 1. n. 20. & seqq. Carpzov. Jurispr. Consistor. def. 1.
num. 17. & seqq. Inde fluit, quod si Status Augustanæ
Confessionis in matrimonialium causarum cognitione,
per Pontificium aliquem officialem ullo modo turbetur,

vellis avocetur, tunc mandata & processus in Camerâ auf den Religions-Frieden decerni possint, quia Stat^o Augustanæ Confessionis dum vigore pacis religiosæ gaudent suis Ecclesiasticis constitutionibus, non sunt in suâ jurisdictione turbandi, uti decretum anno 1589. in causâ Dortmund contra officiales zu Cölln mandatum sine clausulâ vid. *Gylman. in symphorem. tom. 1. part. 1. tit. 3. in vol. ad 8. Supplic. n. 10.*

XXIX. Cæterum inter Status Evangelicos Imperii aliasque personas eidem immediatè subjectas controversiâ matrimoniali aborta, gravissimæ & maximè arduæ quæstionis est, coram quo iudice talis controversia agitari debeat? Non una omnium reperitur sententia; quidam enim adhuc ad Judicem Ecclesiasticum seu Episcopum hanc cognitionem pertinere volunt, tum quod in constitutione pacis religiosæ Jurisdictio Ecclesiastica, tantùm quoad exercitium religionis suspensa, & proinde ad alias Ecclesiasticas causas extendenda non sit, eò quod jura correctoria strictè intelligenda, & ad casus non expressos haut sint extendenda *arg. l. precipimus 32. C. de appellat. in fin.* Tum quod in Recessu Imperii de anno 1555. §. Damit auch obberührte 2c. casus, in quibus Jurisdictio Ecclesiastica suspensa est, commemorentur, qui tanquam exceptiones à regula, quod causæ spirituales & Ecclesiasticæ ad cognitionem Judicis Ecclesiastici pertineant, c. 1. 2. & 12. X. de for. compet. in reliquis casibus non exceptis, puta causis matrimonialibus, & aliis spiritualibus, in prædictâ Imperii constitutione non expressis, regulam confirmant *arg. l. 1. ff. de R. J. l. nam quod 4. §. fin. ff. de pen. leg.* Et sic statuunt Dillingenses Jcti in composit. pac. Præterea etiam hac de re videri potest *Cränius de pac. religion. p. 3. probl. 7.* ubi fusiùs in utramque partem disputat. Sed cum inter pacis tractatus Dillingensium opinio rejecta, & in c. 5. §. 16. *Instr. pac.* vera & genuina mens §. Damit auch Obberührte beyderseits 2c. Rec. Imp. anno 1555. declarata sit, quod verba initialia dicti §. *Instr. pac.*

Jus

Jus Diocesannum, & tota Jurisdictio Ecclesiastica cum omnibus suis speciebus &c. clarè demonstrant, ideo etiam eorum argumentorum refutatione superfedemus.

XXX. Alii ad Consiliarios rei conveniendi matrimoniales causas deferunt, ita tamen ut prius illis remittatur juramentum, quo Domino sunt obstricti *arg. l. 14. ff. de Jurisdic. Ordinat. Cameral. p. 2. tit. 4. §.* Dieselben neuen Rächte in verb. auch aller Gelübde und Eyd ledig seyn und bleiben *Menoch. 1. Consil. 2. num. 116.* cum alias qui superiorem non recognoscunt, vel simpliciter, vel cretæ causæ intuitu se suor. Consiliariorum jurisdictioni subjiciant, per *cit. text. in Ordinat. Cameral.* Ideò & Imperator deputat contra se judices *l. 2. C. si advers. fiscum,* & Papa causam propriam in arbitros compromittit, vel deputat delegatos, ut per Innocentium & alios factum fuisse *c. ex parte X. de V. S.* testatur. Sed hæc benè sese habent, quando utraque pars consentit. Alia ratio est, quando altera pars superiorem non recognoscens nolit consentire, tunc enim, cum par in parem, multò minus superiorem non habet imperium, juxta vulgata jura, in ejusmodi Consiliarios non consentiens nullatenus cogi potest. Videantur acta inter Ducem Megapolitanum ejusque conjugem in *Diar. Europ. part. 11. p. 545. & seqq. Schubard. de Austreg. conclus. 5. num. 6.* arbitris has causas committendas esse statuit, cui opinioni repugnat *c. penult. X. de in integr. restit.*

XXXI. Alios illa occupavit sententia, quod dicant tutius esse hanc rem utpote satis gravem & arduam Imperatoris ac Statuum decisioni subicire vid. *Just. Sibold. Schütz in coll. Juris publ. volum. 2. disput. 3. th. 13. lit. C. in fin. Kitzel. in synopsis. matrimon. c. 10. theorem. 9. lit. b.* Sed qui sic statuunt, insufficientem Imperii Jurisdictionem arguunt, & perperam agunt, cum Judicem habeant, modò habere velint: ipsa quippe Jurisdictio, quæ sub Papatu competens fuit, suspensa indicat, illas causas esse ejus Jurisdictionis, quæ aliàs est in causis aliis. Pon-
ficiam

tificiam enim in se suspensam voluerunt Augustanae confessioni addicti Status, non Imperii Jurisdictionem sublatam, quae ut universalis, quoad omnes etiam causas fundata est, quae non fuerunt exemptae. Quia sub Papatu ab Imperio exemptio causarum ex errore religioso fuit improbata, ideo suspensa, utique; jurisdictio Imperio qua eas, quae singularis Jurisdictionis fuerunt, voluerunt, aut ad minimum velle debuerunt, restitutam. Ut itaque qua illos, qui Pontificiam Jurisdictionem suspensam voluerunt, non est ratio Imperialem recusandi, ita nec apud illos, penes quos ejus administratio existit, aliqua judiciale denegandi auxilium, cum illorum tam conscientiae, quam Juri Imperii censetur, jus non dicere, quod alibi impetrari nequit. Hinc cum *B. Dn. Mev. p. 2. d. 36.* statuimus, quod in ejusmodi causis vel ad Austregas, vel ubi illae cessent, aut locum vimque habere nequeunt, ad Caesarem in aula vel Camera ire possimus. Primum enim Pontificiorum erroneo principio, pro Pontificis saltem auctoritatem amplianda recepto, ab iis, qui istius jugo colla subdixerunt, labefactato, matrimonium videlicet esse sacramentum, & per consequens rem spiritualem, quicquid isti superstructum reperitur, dubio procul corruere necesse est. Vid. *Mev. ad Jus Lubecens. lib. 1. tit. 4. §. 1. num. 38. usque ad finem.*

XXXII. Ratio autem pro Austregis I. est, quia hoc privilegium primae instantiae Statibus immediatis generaliter in omnibus causis concessum reperitur in *Ordin. Camer. p. 2. tit. 4. §. 1.* in verbis: *Warumb oder was Ursachen das wehren zc.* ubi non exceptae reperiuntur causae matrimoniales, etsi eo tempore ordinatio composita fuit, quando jam suspensa erat jurisdictio Ecclesiastica. II. Probatur per *Ordinat. Cameral. part. 2. tit. 2. §. 1.* ubi manifestio spiritualium fit mentio in verb. *Mit Rechtfertigung Churfürsten / Fürsten oder Fürstmässigen / Geistlicher oder weltlicher/umb Spruch und Forderung / die ihrer einer zum andern hätte oder gewinne zc.* Posito igitur Papistarum

rum falsam hypothesin causas matrimoniales esse spiri-
tuales, adhuc tamen expressa Ordinationis decisione co-
ram Austregis erunt ventilandæ vid. *Ziegl. in Comm. con-
clus. §. Austrega conclus. 2. n. 2. Limn. Jur. Publ. tom. 4. c. 8.
n. 96. Mindan. de Process. extrahend. l. 1. c. 10. n. 4.*

XXIII. Pro Cæsareo Judicio Aulico sequentes
militant rationes. I. Quod Imperatoris Jurisdictio sit
universalis, & omnibus casibus adhuc exerceri permissa,
qui vel consuetudine, vel lege, vel Statuum privilegio
non reperiuntur exempti arg. l. 9. ff. ad L. Rhod. de jact.
*Gail. lib. 1. de pac. publ. c. 11. num. 1. & 4. Vid. Dn. Text. ad Re-
cess. Imp. de anno 1654. Disp. 1. th. 74.* Sed cum Impera-
toris judicio à Parte protestantium in causis matrimoni-
alibus nihil obstet, quo minus tolerari possit, hinc etiam
optimo jure defenditur Cæsaris in his causis potestas. II.
Confirmatur nostra assertio inde, quod matrimonialium
causarum cognitio antiquitus solius fuerit secularis ju-
risdictionis, ut leges civiles in titulis ff. & C. de spons. Rit. nupt.
*de Nupt. de Divort. & repud. & c. ostendunt, vid. præterea Klock.
vol. 1. consil. 51. n. 375. Marc. Anton. de Domin. de Republ. Eccles.
lib. 6. c. 6. num. 20. & lib. 5. c. 11. num. 5.* Imò olim ante
Papalis arrogantia incrementa sub Christianis Impera-
toribus ab Ecclesiasticorum sententiis ad secularem Ma-
gistratum Imperatorum sc. vel alium etiam inferiorem,
sub quo erant clerici, appellabatur l. cum clericus 25. C. de E-
piscop. & Cleric. Novell. 3. §. penult. Nov. 4. §. ult. Nov. 86.
§. ult. Nov. 123. §. si quis autem litigantium. Pontificia igitur
impositionis nebulis depulsis, veritate per Lutherum
detecta, ac doctrinâ Christianâ repurgata, optimo jure
Imperatori quoad Augustanæ confessioni addictorū Sta-
tuum causas pristinam potestatem tribuimus, ita ut salvâ
conscientiâ, modò velit, possit matrimonialium causa-
rum cognitionem & dijudicationem in se suscipere.

XXXIV. Ad Camera olim dijudicationem cau-
sarum matrimonialium haud pertinuisse indubitati juris
est, quia dum Camera instituebatur, harum causarum co-

E

gnitio-

gnitionem Pontificii sibi tantum vindicarunt, propterea, quod essent spirituales, at jam repurgata à Pontificiorum erroribus religione rediit Magistratibus Politicis potestas in Ecclesiastica, ita ut Camera, si jus magis, quam antiquum morem sequi vellet, receptionem istarum causarum recusare non deberet, præprimis cum in istis appellare ad Cæsarem licitum fuerit *l. cum Clericus 25. C. de Episcop. & Cler. l. omnes 13. eod. ibique Brunnem. Novell. super. th. citate Klock. conf. 51. num. 228. & seqq. Alvar. Valasc. t. 1. conf. 100. num. 8.* Denique velex hoc solo ad Cameram pertinebunt, cum deficiat omnis ratio ad eximendum valida, quâ cessante & ipsum jus cessare, rationis argumentum est *c. cessante X. de Appellat.* Causa autem exemptionis à Camerâ inter Evangelicos sublata est, opinio nempe, illas causas esse spirituales; deficit igitur ratio exclusiva, nec super est magis, cur exemptio ab hujusmodi causarum receptione statuatur, quàm ut vetus error recipiatur. Confirmat nostram sententiam Auctor decisionum Cameralium, dum refert, quod quando inter Judicii Cameralis personas causæ matrimoniales, agitandæ sunt, Camera de iisdem cognoscere debeat *arg. Ordinat. Cameral. part. 1. tit. 49. §. 4.* quod etiam præjudicio confirmat præcitatus *Auctor Decision. Cameral. verb. matrimonium & cause matrimoniales.* Optimâ igitur ratione hæ causæ coram Camerâ ventilari possunt, cum illa non solum ex secularium, verum etiam Ecclesiasticorum Principum, & communi atque unanimi Statuum conventionne, atque adeo eorum etiam, qui de causis matrimonialibus cognoscendi & statuendi jus habent, constituta sit. Nec obft. Cæsareum memoriale in Comitibus Spirensibus an. 1570. Camera insinuatû, cujus vigore matrimoniales causæ in Camera acceptari non debent, vid. *Cisner. ad Ordin. Camer. p. 1. t. 9. p. 37. Petr. Denais. in Jur. Cam. §. 187. verb. matrimoniales cause. Add. Limn. lib. 4. c. 8. n. 92. Blum. process. Cam. tit. 43. n. 14. Reinck. de R. S. & E. lib. 3. class. 1. c. 10. n. 34. Gail. 1. observ. 112.* Respondemus enim, illud memoriale restringendum ad
solos

solos Pontificios, utpote qui jam forum constitutum habent, & vel coram Episcopo, vel ipso etiam Pontifice conveniri possunt, ita ut opus haud sit, horum respectu aliud speciale forum constituisse, jam verò cum Status Imperii Evangelici Ecclesiasticâ Jurisdictione suspensâ Pontifici nullam in se potestatem concedant, nec tamen æquum sit delicta manere impunita; Hinc meritò cum *Vultej. in l. x. C. ubi Senator. & Clarissim. & Mindan. de process. lib. 1. cap. 10. num. 2.* facimus, quod immediatè Imperio subjecti, qui privilegiatam Austregarum instantiam non habent, coram Imperiali Camerâ conveniri possint; idque longè efficaciore ratiocinatione, & eò magis, quod omnibus modis reverendum sit Camerale judicium, non modò, quoad seculares, sed simul Ecclesiasticos &c. Atque hæc sententia de jure verior, praxis verò Cameralis aliud observat, ex eo quod Cæsar & Assessorum plurimi pontificia dogmata sequantur, & juxta ea piaculum existiment, ad pontificia reservata manus extendere, quod tamen salvâ conscientiam possent, cum non ampilus Ecclesiasticæ Jurisdictionis, sed potius secularis esse censeantur causæ matrimoniales. Vid. *Hotomann. consil. 108. n. 2.* Unde optimâ sane ratione processus in matrimonialibus, imò & spiritualibus in Tribunali Regio Wismariensi discernuntur. Vid. *Mev. p. 2. d. 365. & p. 4. d. 100.* Imprimis cum exemptio causarum matrimonialium à judicio nihil aliud sit, quàm relictus quidam ad errorem Pontifici, & suspensæ Jurisdictionis limitationem, utpote quæ non habet aliud præsuppositum, quàm falsum illud, matrimonium sc. esse sacramentum, & per consequens rem spiritualem. Quod si verò non de jure matrimoniorum, sed de facto, utrum sc. initum fuerit, quæstio existat, de hoc Camera sibi judicium sumit *Meischner. decis. 20. n. 81. & seqq.* quam sententiam etiam Canonistæ approbant. Vid. *Hieronym. de Cœvallos in Specul. aur. opin. commun. contr. comm. tom. 1. quest. 11. n. 9.* Idem obtinet, quando in possessorio vel quasi circa matrimonium contenditur *Man-*

ser. in tract. de matrim. Item, cum de nullitate agitur, brachium seculare implorare licet *Auct. decis. Camer. in voc. matrimonium Mindan. process. lib. 1. c. 10. num. 4. Gail. 1. observat. 115 n. 3. Reink. lib. 3. class. 1. cap. 10. num. 26. 27. & 28.*

XXXV. Hactenus de foro competenti fuimus solliciti, jam sequuntur processus, qui in matrimonialibus solent esse summarii, ita ut levato velo, deplano, sine figurâ & strepitu iudicii, solâ facti veritate inspectâ expediantur, præprimis ubi processus ad promovendum matrimonium tendunt. vid. *Mev. p. 2. d. 366.* Ad desertionis autem processum nequaquam properari debet, ne forsan legitimum conjugium temerè ac sine justâ ac sufficienti causâ dissolvatur. vid. *Carpzov. Jurisprud. cons. lib. 3. tit. 5. def. 58. num. 1.* Uti verò in quovis, ita & in nostro desertionis processu quædam præcedunt, quædam sequuntur. Hinc 1. actionis editio iudici coram Tribunali facienda, cum narratione controversiæ & litis, quam desertricis parti intentare velit, cum in finem, ut actori citatio, & necessarij processus adversus reum conventum decernantur *Vultej. l. 2. Jurisprud. Rom. c. 27. §. actionis editio &c. & seqq.* Iudex enim non nisi imploratus officium suum impertit. Et quamvis Dd. statuunt, quod hodie Iudex in omnibus delictis inquirere possit, ita ut minima etiam in inquisitionem veniant. vid. *Brunnem. in proc. inquisit. c. 5. per tot.* Usu tamen favore matrimonii receptum est, ut inquisitionis processus in causâ desertionis quoad dissolutionem vinculi haud formetur, sed supplicatione & imploratione desertæ partis opus sit, quâ posthabitâ deserentem recipere uxor tenetur, licet post longum temporis spatium demum reversus fuerit, atque ita pronunciarunt *Theologi Jenenses. vid. Dedeken. cons. matrim. n. II. p. 337.*

XXXVI. Sed antequam Iudex processus decernat, citationemque emittat, prius in ipsam desertionem ejusque circumstantias accuratè inquireat, ne forsan absenti injuriam faciat, conjugum conscientias laqueum inji-

injiciat, atque sibi metipſi obicem ponat, ſecus atque de ipſo præſumendum *arg. c. ſicut nobis 16. X. c. ult. X. de ſentent. & re jud. c. in præſentiâ 6. X. de renunciat.* Hinc pars deſerta antequam ei proceſſus decernitur, prius teſtimonium innocentix vitæ & morum Judici offerre debet. *Beuſt. de matrim. p. 2. c. 27.* Tenetur præterea, Jdex à deſertâ parte exigere teſtimonium, quod ſcil. diligenter inquieſierit, nec tamen aliquid certi de marito reſciſcere potuerit, & ſi aliter nequeat, Juramento ignorantiam probare poteſt. *c. ut jura verò nulli X. de Elect. in 6. c. paſtoralis X. de except. cum ignorantia in animo conſiſtat, qualia quæ ſunt juramento probari debent. Accuſ. in l. 1. verb. non occidendi C. ad L. Cornel. de ſicar. Menoch. de arbitr. judic. queſt. 6. af. 186. n. 4.*

XXXVII. Quando igitur Jdex videt vel maritum juſtè agere poſſeſſorio recuperandæ adverſus uxorem. *arg. c. de benedicto 5. cauſ. 32. q. 1. vel uxorem inique à marito deſertam adverſus eum juſtâ de cauſâ implorare auxili- um, ut eandem ad ſeſe recipiat, cohabitet, & conjugalia munia præſtet c. porro 3. & c. ſignificasti 4. X. de divortis, tunc tutò ad ipſum deſertionis proceſſum deveniet, ita ut I. deſerentem ad reſpondendum citet, principium quippe & fundamentum Judicii eſt citatio *ſ. ſi. Inſt. de pœn. temer. litig. c. quoniam contra X. de probat.* Adeò, ut omnis actus Judiciarius contra non citatum celebratus regulariter ſit ipſo jure nullus *Gail. lib. præſt. obſerv. Obſervat. 48. n. 1.* quia deſenſionem reſpicit, quæ eſt juris naturalis, ac pro- inde nec à principe omitti poſſit. *Hillig. l. 23. c. 3. lit. a.* Sed ſi deſertor ſpretâ primâ citatione contumaciter non com- pareat, denuò citari debet ad alleganda impedimenta & neceſſitates, quæ vocatur *jur Ehehaſſt/* quo ſcil. ſuper, cauſis vel impedimentis, quibus forſan detentus fuit, ante amiſſionem cauſæ ſufficienter audiatur, *l. deſertorem 3. §. 7. ff. de re militari, l. 19. §. 1. ff. de probat.* Denique contemptâ & hac citatione deſertor citandus erit ad audiendam ſententiam definitivam, vid. *Beuſt. de connub. p. 2. c. 27. in ſu.* ſed trina hac citatione opus non eſt, imò & in qui-*

busdam provinciis planè ab usu recessit, imò ubi lex & consuetudo plures non requirit, una peremptoria sufficit *Mer. p. 1. d. 158.* ita ut pro tribus citationibus una detur peremptoria, quæ contineat tantum tempus quantum trina citatio *l. nonnunquam 72. ff. de Judic. l. consentaneum 8. C. quomodo & quand. Jud. Parthen. Litigios. 2. v. 13. num. 16. Carpzov. l. 3. tit. 5. def. 64. Jurispr. consistor. eaque vocatur peremptoria Chilian. König in process. c. 27. rubric. von der endlichen oder peremptoriâ citatione §. Die andere Citation, davon hieroben wird gemeiniglich in Fürstenthöfen und derselbigen Gerichten gehalten / dass allein eine Citation mit gnugsamer Zeit und intervallo, als nemlich 6. Wochen ausgehet mit dem Wort peremptorie &c. Zanger. in tract. de except. p. 2. c. 6. num. 9. clausulasque peremptorias habere solet v. g. Soll auf dein Ausbleiben nichts destoweniger ergehen / was recht ist. Vel si addatur verbum peremptorie, uti ex verbis Chilian. König adductis patet, & Brunnem. in proc. Civ. c. 3. n. 29. docet.*

XXXVIII. Et ne ullo planè modo ignorantiam suam pratexere possit deserens pars, cum etiam non sufficiat reum citari, citationem quoque ei insinuari necesse est, *Joseph. de Sese in tract. de inhibit. & execution. c. 5. §. 8. n. 49. Quintil. Mandos. de inhibit. q. 36. n. 7.* quo super contumaciam in casu non factæ comparitionis iudex decernere queat, ad domum enim non valet facta citatio, nisi in eadem citatus commoretur, & notitiam citationis acceperit *Mer. p. 3. d. 8.* Hinc edictaliter plerumque reus citatur publico nempe affixo citatorio in trium diversorum dominorum superiorum districtibus & territoriis *Dreyer unterschiedener Herren Landen. Benst. de Connub. p. 2. c. 27. in verb. & ejusmodi,* vel in cœtu ac frequentia populi post finitam concionem ex suggestu edictum citatorium ternis quaterdenis prælegitur, ac omnibus notificatur, vel publico in loco foribus templi, vel in curia affigitur, vel etiam utrumque sit conjunctim, ut citatio
ita

ita publicata ad aures rei pervenire valeat. *Carpz. Jurispr. consistor. l. 3. tit. 5. def. 63.* si igitur Judici constet de Insinuatione & harum citationum Relatione, nec reus se sistat, vel à desertionis crimine se purget, tunc Judex tuto ad definitivam progreditur, & non comparentem, nec dolum purgantem, sed in contumaciâ perseverantem pro desertore declarat, hac formulâ consvetâ Consistoriis, So wird er auch als ein muthwilliger desertor und verlasser seines Weibes billich erkant und erkläret / in massen wir ihn dafür erkennen und erklären / und derothalben daß zwischen der Klägerin und ihrem verlassenen Mann vollzogen Verlöbniß zur Rettung ihrer Gewissens hiermit cassiret und aufgehoben. Vid, *Beust. de Connub. c. 31.*

XXXIX. Divortio igitur per sententiam Judicis definitivam facto, matrimonium quoad ipsum vinculum solvitur. Ast cum res ipsa loquatur, quod omnes, qui matrimonium sunt inituri, vi contentæ in primæva institutione legis divinæ teneantur illud non aliter inire, quam per consensum de perpetuo & per totam vitam perennaturo vitæ consortio, eumque irrevocabilem & irtractabilem, ex quo obligatio ad fidem conjugalem & mutuum vitæ consortium perpetua resultat. Quam arctissimam unionem, vinculi que indissolubilitatem accuratissimè demonstrat *vir maxime reverendus Dn. D. Musaus in tract. suo de Conjug. th. 33. & seqq. Sanchez. l. 9. disp. 4. n. 2. & seqq.* & inde hac de causâ non paucos habeamus contradicentes, prius solliciti erimus, antequam progrediamur ulterius, utrum salvis tum naturæ, tum Dei legibus solutio ista fieri possit, quod utrumque affirmamus, & quidem quod Jus naturæ attinet, putamus hoc nostrum assertum inde posse probari, quia ut omne pactum, ita matrimonium quoque id ab initio habere præsupponitur ut pars una ab altera, & sic *ab invicem*, non gaudeat discedendi potestate, nisi altera aut consentiat, aut vel ex parte aliqua principali, vel in totum violet pactum.

XL. Discedere autem à matrimonio mutuo consensu

sensu citra gravissimam aliquam causam indecens atque
indecorum est, cum per ejusmodi divortiorum licentiam
non possint non & familiarum, & publicis civitatum,
decor gravissimè convelli. Et quamvis sponsalia, ut
consensu contracta, ita eo iterum dissolvi posse tum Ju-
re Civili l. 1. C. de spons. l. 2. C. de repud. juxta legem nihil tam
naturale 35. ff. de Reg. Jur. tum Canonico proditum sit c.
præterea X. de spons. in Ecclesiis tamen Orthodoxis Evan-
gelicorum divino Juri non consonum existimatum est,
sponsalia semel contracta consensui ad dissolutionem re-
linquere vid. Mev. p. 5. d. 211. quanto minus igitur matri-
monia legitimè contracta dissolventur, cum sic infinitis
turbis, scandalis & malis occasio aperiatur, omnisque
conjugiorum sanctimonia periret. Relinquitur ergo
ut propter pactorum violationem discedendi facultatem
nanciscatur pars læsã, hinc quando unus conjugum le-
vitate vel injustã impatientiã freni conjugalis, vel aliis
non necessariis causis impulsus corporis copiam aut per-
tinaciter denegat, vel plane longius discedit, quis non
videt ejusmodi factum juri naturali repugnare, in tan-
tùm, ut etiam locum faciat omnimodæ separationi, præ-
primis cum in matrimonio utriusque conjugum in alteri-
us corpus jus fuerit quæsitum, quod invito auferri non
debet, si igitur unus eorum malitioso suo discessu jus,
quod alter in suum corpus habuit, aufert invito, simul
quoque licentiam concedit alteri jus suum reposcendi,
sine causã enim apud profugum maneret. Frangenti
fidem fides cur servari debeat, non apparet; Nam ut Jus
Civile constituit, adversario transactione uti conceden-
dum non esse, nisi ea, quæ placita sunt, ad implere para-
tus sit l. 21. C. de transact. & frustra quis sibi fidem servari
postulat, cui fidem à se præstitam servare recusat c. 76. X.
de R. I. in 6. c. pervenit 3. X. de jurejur. ita nulli dubitamus
asserere, jure naturæ nullatenus prohibitum esse, quo-
minus deserta pars ad secunda vota transire valeat, im-
primis cum deserens non dubitaverit, fidem super re li-
cita

cita datam adeò malitiosè frangere. Initiò enim liberam matrimonium contrahendi vel non contrahendi potestatem habuit, jam autem semel matrimonio inito, altera dissentiente constitutæ huic matrimoniali obligationi renunciare nequit; quod enim semel placuit amplius displicere non debet.

XLI. Quòd Jus divinum attinet, habetur textus expressus 1. *ad Corinth.* 7. v. 15. si infidelis discedit, discedat, nō est servituti subjectus frater aut soror in hujusmodi, &c. qui textus quamvis quoad verba de sola desertione hominis Ethnici ac Infidelis loqui videatur, ac proinde ad quamvis aliam haud extendendus, præprimis cum res sit odiosa divortium, ideò etiam nec extra personas & casum in verbis expressum trahendus: Ex Nostratum tamen Theologorum sententiâ & interpretatione Comuni sub permissione Paulina quævis persona à conjugè injustè deserta cōtinetur, nullo habito respectu fidelis, an infidelis sit *Luth. in libell. von Ehesachē. Melancht. loc. de Conj. desert. Mentzerus de conjug. circa fin. de desert.* præterquam enim quod desertor non quidem professione, ipso tamen facto infidelis sit, quod luculenter probatur 1. *Tim.* 5. v. 8. qui suorum, maximè domesticorum curam non habet, fidem negavit, & infideli est deterior, jam cum maritus deserit conjugem, nullam suorum domesticorum curam gerit. Ergo fidem abnegavit, infideli quovis est deterior, si itaq; deterior, quid prohibet idem jus statuere, juxta vulgatum, ubi eadem ratio, ibi idem jus. Cui accedit locus *ad Tit.* 1. v. 16. qui apertè loquitur, quod talis nequam confiteatur quidem se nosse Deum, facto autem neget. Deinde nulla ratio diversitatis inter deserentem fidelem & infidelem solida est, proinde iniquum, personam temerè ope conjugali destitutam, & remedio ustionis privatam, sub alieno Jugo detineri, & sine culpâ sua contabescere, dum altera in peccato triumphat, & luxuriâ procul à freno conjugali diffluat. Quamvis igitur Apostolus principaliter de Infideli, qui ex religionis

F Chri.

Christianæ odio fidelem Conjugem deserit, loquatur, tamen in facto est similitudo, imò identitas, quando non quidem ob Christianæ religionis professionem, sed alias ob causas odium ac tædium adversus suam Conjugem concipit, & vinculi conjugalis impatiens nefariâ ac malitiosâ discessione ab eo se liberare cogitat, æquale igitur periculum, æquale damnum in desertam personam redundat, sive ob Christianæ Religionis professionem, sive ob causas alias à compare suo deseratur, Vid. *Luth. in libr. de captivit. Babylonis tom. 2. Jenens. Lat. fol. 281.* Quinimo si æqua mentis trutinâ perpendere velimus, major perfidia est desertoris professione Christiani, sed re ipsa infidelis, quàm qui professione infidelis est; hic enim cum deserit Christianæ religionis fundamenta non imbibit, odio igitur religionem & propter eam conjugem prosequitur, sibi que persuadet, non licere cohabitare cum illa, quæ diversâ sit religionis. Præterea dum nescivit conjugale vinculum insolubile esse, cum discedit, putat in nullam legem se impingere, nec rem esse magni momenti, ille autem qui facto scil. infidelis est, cum non tam ex ignorantia, superstitione & infirmitate peccet, uti is qui professione infidelis est, sed ex destinatâ malitiâ contra conscientiam & meliorem scientiam vinculum dirumpit. Novit enim se uxori debere adhærere *Gen. 2. curamque suorum habere 1. Timoth. 5. v. 8. Eph. 5. v. 31. 1. Corinth. 7. v. 16. Matth. 19. v. 5. vid. Beatus Dn. Hageman. Gamolog. synopt. lib. 3. tit. 7. n. 3.*

XLII. Ex dictis igitur manifestum erit, veram libertatis causam, qua deserta pars fruiur, non esse infidelitatem; infidelitas enim, qua talis, matrimonio non adverbatur, quod locus Apostolicus verficulis 12. & 13. clare docet, ubi monet, ne maritus fidelis uxorem infidelem dimittat, neque hæc illum: si igitur infidelitas causa esset, propter quam fidelis ab infidelis Conjugis societate liberaretur, Apostolus nequaquam permetteret fidelem Conjugem cum infideli cohabitare. Hinc patet, quod genuina & vera libertatis causa, quam deserta pars nanciscitur,

scitur, sit ipse discessus, qui hunc per se effectum parit, non attento, utrum deserens sit professione infidelis, sive fidelis, vid. *B. Dn. Gerb. in loc. de Conj. n. 624.* personæ quippe qualitas non variat actionem; furtum enim est furtum, sive à Christiano, sive à Judæo, sive à Turca committatur, & *Gerb. loc. cit.* in fine addit, quod malitiosus desertor non careat vehementi adulterii præsumptione, ideò quia conjugalis pacti immemor sanctam Dei ordinationem nefariè transgressus à conjugè, per Dei manum sibi traditâ, discedit.

XLIII. Ne igitur innocens sine sua culpa jure suo privaretur, quod fieri nefas est, *c. discretionem § nam etsi X. de eo qui consang. uxor. sua cognov.* & nequaquam propter aliena delicta laquei injiciendi sunt conscientiæ innocentis personæ; delicta enim suos debent tenere authores *l. sancimus 22. C. de pœnis*, hinc desertæ parti tum naturæ Jus, tum divinum, (de civili enim & moribus introducto jure nullum dubium est) facultatem concedit ad alia vota transire; non enim servituti subjectus est frater vel soror in hujusmodi casu *1. Corinth. 7. v. 15.* Solent tamen Consistoriales factò divortio tentare, ut pars innocens reverso desertori reconcilietur, quod si reconciliatio obtineri nequeat, deserta pars monenda erit, ut quoad desertor vixerit, à secundis nuptiis absteineat, sin & hujus petiti compotes fieri non possint Consistoriales, secunda vota concedantur, ita tamen, ut si fœmina per sententiam Jûdicis à marito desertore liberata sit, ei ante elapsum annum à tempore absentæ mariti computandum ad sanguinis evitandam commixtionem & prolis incertitudinem, alii nubere haud permittatur. *arg. l. 8. §. 4. C. de repud. l. II. §. I. ff. de his qui notantur infamiâ.*

XLIV. Dissoluto igitur matrimonio non tenetur, ut dictum, redeuntem desertorem conjugem repetentem recipere, sed potius posteriori marito cohabitare *L. miles II. §. mulier. 12. ff. ad L. Jul. de adult.* sibi enim imputare debet ex non necessariâ vel probabili causâ absens, quod

ad emissas citationes non comparuerit, tantum quippe
abeft ut rediens audiri debeat, ut pœnis potius fit subji-
ciendus, ac in exilium, quod sponte elegit, iterum pellen-
dus, juxta illud Lutheri, si desertor citatus non venerit,
nunquam postea veniat, id est, redeundi potestas ipsi pe-
nitus denegatur, prout verba ille explicat, *Beat. Dn. Ger-
hardus in loc. de Conjug. n. 634. in fin.* Non obstant verba
Lutheri Tom. 5. Jenens. Germ. fol. 250. in lib. de caus. matrim.
Scripta: Wann einer glaubete und würde dessen bere-
det mit gewaltigen Schein und Warzeichen seine
vertrauete wäre gestorben und darnach käme sie wie-
der und finde eine andere bey ihn / Antwort / Er soll
die erste wieder annehmen / und die andere fahren las-
sen. Wie / wann sie aber schlecht nicht wieder zu ihm
will / und will ihn kurzumb nicht haben / wohl an / so
laß solches der Obrigkeit erkennē / und sie zu dir zwin-
gen / will sie nicht / so laß dich frey sprechen / und bey der
andern bestetigen &c. *Restringenda enim sunt, ut & verba
Dn. Mentzeri de Conjug. p. 232. ad casum absentiae vel proba-
bilis vel necessariae, vel etiam quando persona deserta
desertionis processu legitimo haut prævio, nec antegres-
sa publica desertoris citatione novas contraxit nuptias,
vid. B. Gerh. c. l. Carpz. lib. 2. tit. 11. def. 192. n. 15. Jurispr. Conf. Ha-
vem. Gamolog. lib. 3. tit. 7.*

XLV. Si autem consummatum nondum sit Con-
jugium cum personâ aliâ, sed tantum sponsalia celebrata,
hoc in casu quam maximè reconciliatio urgenda, ac no-
va sponsalia rescindenda. *B. Gerh. c. l. Carpz. lib. 3. tit. 5. def.
68. Jurispr. consist.* Sed quid Juris, si persona deserta ma-
trimonio per sententiam definitivam haud soluto alii se-
jungat? adulterium eam committere extra dubium est;
non enim existente divortii causâ statim existit ipsum
divortium, utpotè ad quod non tantum causa seu suffi-
ciens divortii ratio, verum etiam ipsa matrimonii per-
sententiam Judicis facta dissolutio requiritur, jam verò
cum alterutrum horum deficiat, non potest non biga-
miæ

mix pariter & adulterii reus fieri, quæ matrimonii vinculo non soluto ad alia vota convolat. Interim tamen, mitiori afficitur supplicio, tum ob causam divortii existentem, malitiosam desertionem nempe, *Carpzov. prax. Crim. p. 2. quest. 58.* tum ob carentiam opis conjugalis & uestionis privationem. Ignoscendum siquidem est ei, qui causa aliqua commotus & irritatus deliquit. *l. si adulterium 38. §. Imperator 8. ff. ad L. Jul. de adult.* tum quod deserens & diu absens probabiliter præsumatur mortuus. *Henn. Arnif. de Jur. connub. c. 6. sect. 7. in fin.* Accedit denique quod cum diuturnâ absentia plerumque adulterium videatur concurrere, vid. *Arnif. d. tract. c. 6. sect. 6. n. 4.* Hinc etiam est, quod quando de desertoris adulterio vel bigamia certo constat, deserta de desertionis processu non teneatur esse sollicita, cum adulterium conjugii formam adeoque ipsum conjugium evertat, ipsaq; matrimonii substantialia aboleat; sublata autem forma tollitur res ipsa, jam conjugii forma consistit in unitate carnis *Gen. 2. v. 24. Matth. 19. v. 6.* at mulier adultera fit una caro cum adultero *1. Corinth. 6. v. 16.* E. non amplius est una caro cum marito, & per consequentiam conjugalis unitatis vinculum est solutum, vid. *B. Dn. Gerh. in l. de conj. n. 572.*

XLVI. Si verò persona deserens revertatur in viam, ac citatus redeat, sed propter diuturniorem absentiam de adulterio suspectus sit, tum, modo ex sufficientium indicorum defectu ad torturam deveniri nequeat, purgationis juramento indicis verisimilibus præeuntibus innocentiam demonstrare tenetur, iis virò deficientibus, conjunx potius pro innocente declarandus erit, quàm juramento gravandus *Carpz. Jurispr. Consist. l. 3. tit. 5. def. 70. n. 11. & seqq.*

XLXII. Circa personam desertam antequam ad alios ex desertione resultantes deveniamus effectus, notandum, quod si illa desertioni causam dederit, puta morositate, jurgiis &c. haud facile ad alias adspirabit nuptias;

ptias; cum enim illa culpâ suâ ac dolo causam divortio præbuerit, malè queritur de malo, quod sibi proprio jumento accersivit, & meritò quod quis sibi intrivit, ipsi erit exedendum. Interim tamen circumstantiarum habenda est ratio, prudenterque expendendum, an qualiscunque saltim data sit deserendi occasio ipsi deserenti, an verò reperiantur causæ suo influxu satis efficaces atque vix evitabiles, siquidem non quavis occasio inevitabilis causa censeri debet. Ut ut igitur sit, desertor in totum excusari nequit, quia tum potuerat, tum etiam debuerat & cognatorum, & Ecclesiæ ministrorum, imò ipsius Magistratus brachium implorare, antequam temerariâ desertione sibi cum perpetuo conscientia vulnere prospiceret, ac privato arbitrio jus diceret, in totum igitur partem nocentem non arcemus, nec etiam semper, transitum ad secunda vota concedimus, ne desertæ personæ petulantia nutricatum inveniat, sed Magistratus Judicio hoc relinquimus, qui circumstantiis benè perpensis parti nocenti novum contrahendi matrimonium facultatem impertire potest, ita tamen, ut nuptiis sine omni pompâ & solennitate celebratis, domicilium mutare, & aliò sese conferre cogatur, ubi ejus turpitudò non innotuit *Gerh. de Conjug. §. 622. idem n. 633.* de desertore vel desertrice idem Judicium esto, si divortio factò ad secundas adspirare tentaverit nuptias; vid. *Carpzov. Jurispr. consist. lib. 3. tit. 5. def. 71.* ubi tamen silentio haud prætereundum, quod major difficultas sit in præsentì, quam superiori casu, Hic enim quantum in se est, ordinationem divinam de vitæ in conjugio servandæ individutate violavit, quod cessat in eo, qui causam saltim divortio jurgii vel aliis rebus dedit? hinc etiam non ita faciles reperiuntur Consistoriales in præsentì, quàm priori casu, ne scil. fenestram ad nequitiam patefaciant majorem, quod fieret, si ita indefinitè deserenti facultatem renubendi concederent, cum pessimæ sortis homo sub prætextu malitiôsæ desertionis facilè se liberare posset à conjugè, quam

quàm odio habet, ut postmodum reversus aliam in ma-
trimonium queat ducere *Gerh. d. l. de Conjug. n. 672.* ubi pro-
lixius hæc omnia deducit.

XLVIII. Sed hæc sufficiant de desertionis effectu
principali, divortio nimirum, jam ad minus principalem
progressum facimus, ubi dispiciendum, utra pars mari-
tusne an fœmina divortio causam præbuerit, & quidem
si maritus malitiosâ desertione divortio ansam dederit,
uxor ab ipso non tantum dotem repetit, verum etiam
propter nuptias donationem exigat, quamvis alias ne-
que pacto, neque lege vel statuto ullo ad ipsam prædicta
donatio propter nuptias pertineat *l. 8. §. 4. in fin. C. de re-
pud. Nov. 117. c. 9. & Nov. 134. c. 10. Vincent. Hond., vol. 1. p. 3.
consult. 48. num. 5. Berlich. p. 4. conclus. 29. num. 25. Matth.
Coler. p. 1. dec. 176. num. 44. Carpzov. p. 4. Const. 21. def. 3.* Et
si uxor dotis loco nihil intulerit, nec maritus ejus intuitu
donationem propter nuptias fecerit, uxor nihilominus
quartã partem ex mariti substantia lucrabitur *l. 11. §. si quis
1. vers. si vero C. de repud. auth. præterea C. und. vir. & uxor.* quàm
non lucraretur, si justo modo matrimonium per divorti-
um fuerit solutum vid. *B. Dn. Richter ad auth. cit. n. 25.* hac
tamen cum limitatione, nisi liberos ex eodem matrimo-
nio habeat; tunc enim solo rerum usu ad dies vitæ poti-
tur mulier, quas ex ante nuptiali donatione accepit, do-
minio communibus liberis conservando, quod si verò
prolem non susceperit, proprietatem consequitur *Bocer.
class. 4. disp. 12. th. 34.*

XLIX. De dotalitio verò hoc tenendum, quod si
illud fuerit constitutum, quemadmodum hodie in com-
pensationem dotis constitui solet, tunc non solum dota-
litium, sed etiam ipsam dotem uxorem petere posse, vid.
*Hartm. Pistor. observ. 15. Bald. inc. 1. ut lite non contest. Bursat.
conf. 120. num. 20. per Nov. 117. c. 8. Marsil. in l. unic. C. de ra-
ptu. virgin. num. 75.* Qui autores quamvis de marito adul-
terium committente loquantur, casum desertionis tamen
exclusisse non videntur, cum ab uno ad alterum valeat
confer-

consequencia, nec ulla diversitatis ratio quoad acquisitionem vel amissionem dotis, donationis propter nuptias, aut alius lucri demonstrari possit. Et sicut uxor, aliàs ob viri malitiosam desertionem dotem suam recipit, donationem propter nuptias verò lucratur, ita hac non constitutâ dotem quo minus exigere possit, causa nulla est, quia ubi dotalitium tantum consequitur uxor, hoc solum habet, ne sit in damno, lucrum ergo hætenus nullum nanciscitur, quod tamen ei leges tribuunt. Denique omne lucrum, quod ex pactis dotalibus, lege, statuto aut consuetudine maritus consequi poterat, perdit, eo ipso, conjugem dum deserit, vid. *Carpzov. Jurispr. forens. p. 3. c. 95. tit. 26. def. 20. § 21. idem in praxi Criminal. p. 2. q. 64. num. 28. § seq. Rauchbar. p. 1. q. 47. num. II. Matth. Berlich. p. 4. concl. 29. n. 29.*

L. Quid si verò mulier absque probabili causa discesserit à marito, hoc ipso sese indignam reddidit lucro nuptiali, & neque ex pacto, neque ex consuetudine donationem propter nuptias lucratur, sed maritus tum propter nuptias donationem, tum dotem retinet *l. 8. §. 5. C. de repud. Nov. 22. c. 15. §. 2. Nov. 117. c. 8. Matth. Berlich. p. 4. conclus. 29. n. 20. Modest. Pistor. p. 2. q. 90. n. 1. § seq. Coler. decis. 257. n. 8. Beat. Richter. de successio. ab intest. sect. 4. memb. 4. n. 39. Schrader. ad tit. Inst. de nupt. modo soluto matrimonio ipsi uxori dotis repetitio competiisset; Nam si vel pater, vel alius extraneus quilibet dotem cõstituens eam sibi reddi expressè stipuletur vel paciscatur, patri vel extraneo stipulanti restituenda est *Brunneman. ad L. 2. ff. solut. matrim. num. 6. Anton. Matth. de crimi. ad lib. 48. ff. tit. 3. c. 3. num. 10. Berlich. p. 4. conclus. 29. num. 42. § 43.* Quando verò nulla dos constituta, in ejus locum quarta pars totius mulieris substantiæ, divortii tempore in ejus bonis existentis, nisi 400. libr. auri excedat, succedit *l. 11. §. 1. C. de repud. Kohl. de pact. dot. p. 1. num. 101.* Sed hæc ita procedunt, si liberi nõ adsint, si qui autem adsint, usumfructum duntaxat maritus habet servatâ liberis proprietate.*

tate. *Rittershus ad Nov. p. 4. c. 8. num. 14.* Et hoc jus prælationis non tantum communibus, verum etiam prioris matrimonii liberis tribuendum est, & quidem in compensationem injuriæ atque ignominie per matrem sibi illatæ, quam ipsi ex matris delicto perferre coguntur. *Modestin. Pistor. p. 1. consil. 3. q. 2. n. 24. Berlich. p. 4. conclus. 29. num. 36.*

LI. Quæ hætenus maritum lucrari diximus, ad paraphernalia uxoris extendenda haud sunt, vid. *Rauchbar. p. 1. q. 47. num. 12. & seq. Conrad. Mauser. ad §. fin. tit. de nuptiis, Hahn. in Observationibus ad Wesenbecium tit. ad L. Jul. de adult. num. 19. Henricus Bocer. in tractatu de adulter. c. 5. num. 36. & seqq.* Et hoc etiam de Jure Canonico verum est, c. 4. X. de donat. inter vir. & uxor. c. ex parte 10. X. de consuetud. Sed in foro Saxonico aliud obtinet, ita ut una cum dote uxoris paraphernalia maritus lucretur. *Carpz. in prax. Crim. p. 2. q. 64. num. 28. Matth. Berlich. p. 4. conclus. 29. num. 19.*

LII. Insuper i. notandum quod tradita tum demum locum inveniunt, quando uxor ex nullâ probabili causâ malitiosè, & eâ mente, quod nolit amplius marito cohabitare, discesserit; scit enim aut ad minimum scire debuit, sine causa id se facere non debere, quod si igitur causa quædam discedendi fuit, eaque talis, ut uxorem dubiam reddere queat, an illa conscientia & honestate in conjugio consistere liceat, veluti si quædam ratio sit, ob quam conjugium reputari possit irritum, aut conscientie scrupulus de jure ejus suborietur, tum licet extra peccatum constituta mulier non sit discedens à marito, attamen cum non malitiosè planè atque sine ratione aliqua se separaverit, minui supplicium debet, per ea quæ habet *Mev. p. 7. d. 162.*

LIII. II. Probè observandum, quod cum malitiosa desertio non ipso jure dissolvat matrimonium, ut ex supra dictis constat; hinc etiam si maritus simpliciter tacuerit, nec desertionis processum instituerit, vel alio modo

G

indi-

indignationem & voluntatem propter nuptias donationem revocandi ante suam mortem demonstraverit, de jure communi uxor propter hanc desertionem dotem & donationem propter nuptias non amittit, quia desertio causa tantum, non verò modus dissolvendi existit, proinde & uxor maritum deserens, quamdiu per Judicis sententiam matrimonium non est dissolutum, est & manet uxor. *Bachov. in not. ad Trentl. vol. 2. disp. 6. th. ult. L. F. Carpz. p. 3. const. 26. def. 10.*

LIV. Dissentit *Modestinus Pistor. quest. 90. per textum in Nov. 22. c. 15. §. 2. Nov. 117. c. 8. l. 3. ff. de his quæ ut indig. aufer. l. 10. §. fin. ff. solut. matrim.* qui textus tantum abest ut pro ipso faciant, ut potius nostram sententiam confirment. *Novellæ enim 22. c. 15. §. 2. & 117. c. 8.* nihil aliud probant, quàm hanc desertionem sufficientem esse divortii causam, maritoque licentiam concessam esse uxorem repellendi, ac dotem ut & donationem propter nuptias retinendi, quod idem nos etiam statuimus; non probant igitur quod probare debebant, videlicet, matrimonium eo ipso disrumpi, & per consequens omnia ejus accessoria amitti, dum uxor discedit, nec opus esse expectare hac de re tum cognitionem, tum sententiam Judicis. Quod *l. 3. ff. de his quæ ut indig. & l. 10. §. fin. ff. solut. matrim.* attinet, planè loquuntur de alio casu, de herede scilicet, qui defunctum occidit, aut cujus culpâ & negligentia factum est, quo minus testator adhuc sit in rerum naturâ.

LV. Ex dictis porro fluit, quod adversus uxorem deserentem, postea verò revertentem, heredibus nulla sit facultas dotem ac donationem propter nuptias retinendi, cùm hæc ipsa licentia tendat ad vindictam, & actioni injuriarum similis sit, quæ tamen morre injuriati extinguitur §. 1. *Inst. de perpet. & temp. act. l. 1. §. 1. ff. de privat. delict. l. 5. C. de revocand. donat. & Carpzov. Jurisprud. forens. p. 3. constitut. 26. def. 13. & 14.* nec activè, nec passivè in heredes transit *l. si cum judicio 10. §. qui injuriarum 2. ff. si quis*

*quis cant. in judic. sist. caus. fact. l. 2. §. emancipatur 4. ff. de collat. l. injuriarum 13. pr. ff. de injur. l. poenales 39. ff. ad L. Falcid. si igitur uxori post mariti mortem reversæ, hancque donationem propter nuptias ex pacto, lege, statuto, vel consuetudine petenti desertionis opponatur exceptio, ipsa replicare poterit, jus non esse ulla ratione inquietari donationes, quas is, qui donaverat, vivus non retractavit l. 1. C. de revocand. donat. dummodò juxta aliorum sententiam maritus justum conquerendi tempus habuerit. Si enim subita morte oppressus, dolorem atque indignationem animi sui desuper contestari nequiverit, jus defuncti mariti ad consequendam vel retinendam dotem & donationem propter nuptias heredibus tribuunt. vid. *Abrah. à Wesel tract. de connub. bonor. societ. & pact. dot. al. c. 4. num. 34.* Et hoc verum esse quoad suos heredes statuunt *Mev. p. 7. decis. 164. num. 4. Carpzov. Jurisprud. for. p. 3. const. 26. def. 12. Farinac. prax. Crimin. quest. 142. p. 2. d. 16. num. 126.* Extranei igitur heredes ad amissionis pœnam, ubi maritus nondum petiit, agere nequeunt. *Boer. dec. 338. n. 8. Campeg. in tract. de dot. quest. 228.**

LVI. Quæ hæcenus de conjugibus diximus, ea quadantenus ad sponso applicari possunt, ita ut cum inter stupratam jam gravidam & stupratorem matrimonialis consensus, at non copula sacerdotalis processisset, (ante hanc enim stuprator eam deseruerat) jam stupratâ & ex eâ filio nato, nondum factò divortio mortuis rediens stuprator succedere desertæ, multo minus filio suo ex eâ genito non prohibebitur, cum ad nuptias solus sufficiat consensus l. nuptias 30. ff. de R. J. l. 24. l. 31. ff. de rit. nupt. copula verò sacerdotalis per Ecclesiæ introductum ritum ad decentius meliusq; esse quidem, non tamen ad matrimonii substantiã necessaria sit. vid. *Cothm. vol. 2. consil. 78. num. 8. & seq. Kling. in tract. de matrim. c. de inutil. nupt. Hartm. Pistor. obs. 83. num. 8.* hinc etiam est quod legitimatio, licet non subsequatâ sacerdotali copulâ, ex solo matrimoniali consensu procedat. *Mev. p. 2. d. 71.*

G 2

LVII.

LVII. Quamvis igitur inter sponsalia hæc quibus carnalis copula accessit, & ipsum matrimoniū in Ecclesiæ conspectu per benedictionem sacerdotalem confirmatum nulla sit differentia, præsertim quoad effectus, quos ex jure civiliconsensu matrimonialis habuit, non tamen præmaturus ille desponsatorum concubitus extra crimen & impunis est; Juvenis enim virginem sibi desponsari petens, nō hoc petit, ut statim sibi tradatur uxor ad cohabitationem conjugalem, sed petit, ut sibi de præsentī categoricè & firmiter promittatur & addicatur futura uxor. Unde consensus hic & sponsio est, & vocatur sponsalitiū, id est, talis, qui inter desponsatas personas requiri solet, & est affectio sponsalis, non autem nuptialis sive conjugalis, hoc est, qualis esse solet inter conjuges à nuptiis cohabitantes, atque hinc efficax obligatio ad nuptias suo tempore celebrandas, & matrimonium consummandum oritur, non verò statim in præsentī, sed ordine legitimo, & communi utriusque partis consensu constituendo tempore. Sponsa ergò certò promittitur in sponsalibus sponso futura uxor, at non statim traditur ad usum matrimonialem. Quare cū sponsus ante nuptias sponsam sive invitam trahens, sive volentem ducens clanculum & secretò ad thalamum, quam sanctè se publicè & solenniter ducturum promiserat ad Ecclesiam, & petiturum confirmationem sponsaliorum atque divinam benedictionem, peccet, tum contra Deum, tum contra Ecclesiam, tum contra Magistratum, tum contra parentes, tum contra totam familiam, tum denique contra ipsam sponsam, cujus cū custos esse deberet, ipse eam comprimit, devirginat, contaminat, eique eripit id, quod honestæ virgini, si non charius vitâ ipsâ, æquè tamen charum esse debet. vid. *Menz. in disp. Num spons. ante sollemn. in Eccles. copulat. & bened. concumbent. publ. pœuient. justè imponatur.* Furtivum igitur illum inordinati amoris ignem impunè grassari haud convenit, proindè quoque à Magistratu ejusmodi delictum carcere aut Ecclesiasticâ

fficâ pœnitentiâ plecti solet. vid. *Carpz. prax. Crim. p. 2. quest.*
69. n. 46. & seqq.

LVIII. Quod si verò divortium factum fuerit, tunc nullatenus successionem in bona defunctæ sponsæ sperare poterit, cum nec conjuges habeant *Carpzov. Jurisprud. for. p. 3. const. 26. def. 17.* modò suscepta proles ante matrem fuerit mortua; si autem supervixerit, ac deinceps ex hac vita decesserit, sponso tanquam legitimo parenti successio haud denegabitur; desertio enim malitiosa quamvis maritalem tollat potestatem, patriam tamen non tollit. vid. *l. 1. & Auth. si pater causam C. Divort. fact. apud quem lib. mor. vel. educ. deb.* Hinc quoque nulli dubitamus, jus parenti integrum in defunctæ prolis bona asserere, dummodo intestata decedat, quod si ejus ætatis fuerit, ut testamentum facere potuerit, feceritque, & patrem in eo exheredaverit, quod utique facere potest; similes enim & majores exheredationis causas non excludimus, ex nullo prætextu pater successionem in bona filii prædefuncti obtendere valet. Infideli enim quovis peior est, & fidem abnegasse dicitur, qui nullam suorum curam gerit, uti supra aliquoties assertum ivimus.

LIX. Et hætenus de sponsâ gravidâ desertâ. Jam quid juris, siquidem non sit gravida, petat tamen immisionem in sponsi bona ob injuriam sibi illatam? Respondetur, quod immissio petenti hoc in casu nõ sit deneganda, tum ut de illatâ injuriâ ipsi satisfiat, tum etiam ut alimenta necessaria consequatur *Beust. de sponsal. c. 67. p. 91. num. 10. Carpzov. Jurisprud. Consist. def. 136. Cothm. vol. 1. const. 86. num. 100. & seqq. Berlich. p. 5. d. 59. & ita FCros Jenenses pronunciassæ refert Ernest. Cothm. vol. 1. resp. 10. num. 256.* Imprimis cum aliàs moris sit, in ejus bona, qui ita se subducit, ut potestatem sui non faciat, decerni immisionem. vid. *Mev. p. 6. dec. 41.* Competit præterea sponsæ actio injuriarum ob repudium; ad insignem enim honestæ virginis contumeliam pertinet, post nuptiale votum ludificari, diffamari, repudiari, & non dignam ea conjunctione, quæ per sponsalia præparatur, censeri. *Mev. p. 5.*

d. 193. *Cothm. vol. 1. resp. 10. n. 261.* Et hæc procedunt modo prius de connubialis voti vinculo & vi, nec non sponsi perfidiâ ac sponsæ innocentia plenè cognitum fuerit, per rationes à Mevio c.l. adductas. Nullatenus enim permittendum desponsatis, consensu mutuo à contractis sponsalibus discedere, & tantum suam injuriam vindicare *Mev. p. 5. d. 211.* Sed ad alimentorū præstationem divortio facto non amplius tenetur, cum nec uxori eo tempore debeantur alimenta, *Carpz. p. 3. d. 291. n. 16. idem Jurispr. forens. p. 3. const. 26. def. 24.* Secus se res habet in separatione quoad thorum & mensam *Carpz. c. l. n. 18. idem p. 3. const. 26. def. 18.*

LX. Et quamvis regulariter lucrum statutarium ratione bonorum ante divortium à nocente acquisitorum & possessorum *Carpz. Jurispr. consist. p. 3. const. 26. def. 23.* aut pendente processu eidem per successionem delatorum *Carpz. lib. 6. tit. 9. Resp. 109,* non acquiratur aliter, quam si conjuges corpore convenerint, wenn das Ehebett betreten und die Braut dem Bräutigam ins Bett beygesetzt wird / dantur tamen casus, ubi & sponsis statutaria bona non denegantur. vid. *Mev. ad Jus Lubec. p. 2. tit. 2. art. 12. n. 271. & multis seqq.* quibus & hic annumerari potest, quando scilicet sponsa ad totalem separationem non egit, tunc ex contumacis prædefuncti bonis una cum legitima statuariam portionem salvam habet *Gail. 2. observ. 8. n. 12. Mev. p. 5. d. 136.* Quod si verò uxor vel sponsa desertrix lucro hoc statuario sit privata, illud non fisco cedit, sed penes defuncti heredes manet *Idem d. seq.*

LXI. Uti supra monuimus, pertinaces debiti conjugalis detrectatores desertoribus ita h. l. iisdem adnumerandos esse, qui adeò refractarii existunt, ut nullatenus matrimonium consummare velint. Et quamvis extra controversiam sit, refractariam partem ad consummationem & posse & debere compelli, multi tamen dantur casus, ubi licet publica solemnia, & in nomine S.S. individux Trinitatis inita sponsalia præcesserint, ad compulsionem tamen non deveniatur *Mev. p. 3. dec. 82. Sanchez lib. 1. Disp. 29.* hinc probè considerandum, an is, à quo sponsaliorum implementum postulatur, illa observare debeat, quod

quod ex illius exceptionibus statuendum, cum plures tum civili, tum canonico jure expressæ sint causæ, tum etiam usu receptæ, ex quibus sponsalia dissolvuntur, & ea non observare permittitur. Deinde videndum, utrum qui postulat actionis jure se indignum reddiderit, vel in alio existat, quod non compelli mereatur. Proinde quando coactiones circa matrimonia difficiles tristesque plerumque exitus habere solent, ad eas cautè tardeque progredi decet, nec aliter, quàm si evitari nequeant, eò severitatis, & quidem per gradus descendendum erit. *Mev. p. 3. d. 383.*

LXII. Ast cum non servatum sponsaliorum votum scandalum publicum sit, & tale delictum, quod cum Divini nominis sanctimoniam perjurii instar, tum honestatem matrimonii, tum ordinationem divinam violat, imò adeò est scandalosum, ut ex illo multæ piæ mentes simplices in errores & vanas de connubiali vinculo opiniones seduci, & malitiosi facile similis contumaciæ aut pertinaciæ exemplum capere, adeoque non leve periculum cum conscientiiis, tum fidei conjugali creari queat, inde justa visa est nostris Consistoriis Ecclesiastica pœnitentia, tum ad publicè publicum agnoscendum delictum, tum ad placandam deprecatione Ecclesiam, tum ad consulendum peccantium conscientiam, tum oblitterandum scandalum, tum denique deterrendum à simili facto alios. vid. *Mev. p. 6. d. 355. & seq. Rebhan in tract. von der öffentlichen Kirchenbusse c. 1. & seq.* ubi fusius hæc omnia exponit. Ast cum aliquando Ecclesiastica pœnitentia sufficiens haud sit ad reprimendum hoc scandalum, hinc sæpius in exemplum usus observat, ut etiam quædam pœna nuptialia pacta turbantibus, & implere recusantibus infligatur, de qua videri potest *Mev. p. 6. d. 358.* Nec obst. quod unum idemque delictum duplici pœna non debeat affici. Nam præterquam quod pœnitentia Ecclesiastica improprie pœna dicatur, vid. *Dn. Rebhan c. tract. von öffentlicher Kirchenbusse c. 2.* cum sit actus Ecclesiasticus & pœnitentialis, qui emendat scandalum corrigit peccantem, eluit facti vitiū, ideoque medicinalis potius, quem etiam pœnam non esse, nec eorum regulis censendum Theologi putant, vid. *præterea*

creac. notandū 24. q. 34. c. 1. pr. X. de sent. comm. in 6. posito autem eam pœnæ nomine venire, non tamen nobis contrariatur regula opposita, cum sic sit limitanda, si utraq; pœna ad unum eundemq; tendat effectum & finem, jam quia per Ecclesiasticam pœnitentiam potissimum consultur conscientia delinquentis, errori seu opinioni aliorum, ut & quieti Ecclesie, pœna verò salutem reipubl. primario intendat, diversitatis ratio liquidissima erit. *Carpz. Jurispr. Consist. lib. 3. t. 7. d. 94. per tot.*

LXII. Licet autem citius sponsalitiū voti ex justis causis gratia fuit, quam ut ipsum vinculum connubiale dissolvatur, atque exinde etiam secundæ nuptiæ non perinde interdiciantur. Cum valde dura hæc sit pœna inferens grave jugum, ideò nō temerè iis, qui nondum juncti fuerunt irroganda. vid. *Mev. p. 6. d. 225.* duplex enim in matrimonio accedit copula, quæ in sponsalibus non est, sacerdotalis scil. & carnalis, quod duplex vinculū ut fortius ligat, quam unū *l. pen. pr. vers. si vero C. de adopt. auth. itaq; C. comm. de success.* Ita etiam personas, quarum connubium ex certis causis prævideri potest, in faustum & multis miseriis subiectum, ad nuptiarum consummationem cogere injustum est; *Mev. it. c. 6. d. 226. & 227.* præstat enim intacta jura servare, quam post vulneratam causam remedium quærere. Interim tamen si nulla sit justa recusandi causa, tunc eo modo, ut inter conjuges, qui se separant, matrimonium secundum interdici solet, ita verò ut fit Magistratū licentia veniam dandi, nisi manifestò tanta reperiatur nocentis partis culpa, ut nullam unquam gratiam admittere possit. Aliàs enim indefinitè interdici Consistoria haut consueverunt, sed reservationis gratiæ seu arbitrii judicialis clausulam addere. vid. *Mev. p. 6. d. 359.*

Quod super est

SOLI DEO SIT LAUS HONOR ET GLORIA

Errata: In præfamine lin. 3. judæis, pro judeis, pro fuscipio suspicio th. 3. fide pro fide th. ead. l. 23. suppl. ad th. 27. circa finē pro similitudines similitudines. th. 30 l. 11. pro cretæ, certæ th. 31 l. 6. pro Jurisdicção, Jurisdictionē l. 12. pro censetur, adversetur. l. 18. pro auctoritatem auctoritate th. 32. l. 9. pro manifestio, manifestò th. 33 l. 19. pro Imperatorū Imperatorem. th. 46. l. 4. indiciorum, pro indicorum th. ead. l. 6. pro viro, verò th. 47 l. exceptis octo ultim del sign. interrogat. th. 49. l. 10. nlla, ulla,

Ceu surgens hederâ pallenti stringitur Ilex
Nectens stipitibus frondea ferta suis:
Sydera sic feriens ornatâ gloria fronte
Principium votis, Laude coronat opus.
En Tua quo tendit pennatâ gloria famâ?
Gloria Musarum parta labore Tibi.
Scilicet exposcit laudes & vota secunda,
Quo bene cœpta Themis præmia digna ferat.
I quo Te sacrata vocant in castra Camœnz!
Gloria, dante DEO, rite decusq; fluent,

f.
PRÆSES.

Die Rosen machen nur den rauchen Baum beliebt,
Die Stachel thut es nicht:
denn sie gleich umb sich sticht /
so bald man sich der kühlen Blätter Ruh' ergiebet.
Die Blumen machen nur den Rosen-Zweig beliebt,
Nicht/ weil er unverles't
dem Frost sich widerset't
und weder Tag noch Nacht vom Krachen wird betrübet.
Die Rosen machen nur den rothen Stock beliebt/
Zeigt Er / mein werther Freund /
wenn Ihm verlohren schelnt
der Fleiß/ so niemals sich im Plan zur Prob geübet.
Die PALLAS, THEMIS rufft: mit uns hat Er geschwizet
bey Sonn-und Mondes Liecht.
das achtet Er doch nicht /
bis selbst Sein Mund den Schweiß in vieler Ohren sprizet.
Getrost! Geehrter Musen-Sohn/ der Schweiß wird quellen
hoch über sich mit Macht:
der Himmel ist bedacht/
wie er der Seingen Wunsch bald wil zu Frieden stellen.
dieses setze hinzu
Nic. Gothofr. Hogel/ Erf.

Quod studiis Themidos soleas noctesque diesque
Invigilare docet fertile mentis opus:
Ex quo condigne Tibi surget gloria magna,
Et quondam causas non sine laude geres.

*Ite de studiis Dn. Autoris, Amici atque Sympatrio-
te sui honoratissimi, auguratur*

Franciscus Thilo.

Fonte Caballino quidnam sua labra rigasse,
Parnassi inque jugis quid recubasse juvet,
Quid juvet unguiculos meditando rodere crudos:
Testaris. *Grator!* quid mercare Tibi
Quando inter *Sylvas Academi* quærere verum
Conaris? *Laudes Calliopeia* canet.

*Ita ex infucato animo suavissimo suo Achata atque
conterraneo, amico ex paucis phosphoro,
acclamat*

Johannes Nicolaus Hoyer.

TE, *Fautor*, multum voluisse volumina juris,
Hoc præsens scriptum comprobat eximium.
Gratulor his cœptis optoque ex corde, *Patronos*
Hocce Tibi *magno* conciliet specimen.

*Brevibus hisce Eruditissimo Dno. Autori Respon-
amico suo optimo, ex animo gratulatur*

Ludovicus Fridericus Jacobi
Stud. Phil.





(X2282150)

YD17





(A)

Q. D. B. V.

28 num. 9. 1

1675, 20

PUTATIO JURIDICA
INAUGURALIS

DE

QVOD JUSTUM
IN PUNCTO MALI-
SÆ DESERTIONIS

Quam

Auspice S. S. Triade

&

s atque Magnifici Jctorum Ordinis
auctoritate ac decreto

PRÆSIDE

*Magnifico, Prenobilissimo, Consultissimo atque
Excellentissimo*

NESTO FRIDERICO

ERO Hæreditario in Wickerstädt

Antecessore Famigeratissimo, Consiliario

ico Eminentissimo, Curia Provin-

cialis nec non Scabinatus Assessore

Gravissimo

que Promotore suo summè devenerando

PRO LICENTIA

in utroque jure honores & Privilegia Doctoralia

more majorum ritè consequendi

eruditorum examini placideq; disquisitioni subjicit

JANNES Blume/Stadenf.

diem Septembris, Anno M. DC. LXXV.

aterio Jctorum horis ante- & Pomeridianis.



Literis MULLERIANIS,